

M. IOANNIS ANDREAE PLANERI,
ORD. PHILOS. ADI. IN ACAD.
VITEMBERGENSI,

HISTORIA VARISCIAE,

SIGILLATIM

VRBIS CVRIAE.



VITEMBERGAE,
Svmtibvs CHRISTIAN. THEOPHIL. LVDOVICI,
Bibliopolae Academici,
ANNO CIↃ IↃCCI.

TABVLA AD HISTORIAM VARISCIAE, ET VRBIS CVRIAE.

PARS I, DE VARISCIA.

- Notatio, §. I.
  - Narisciae,
  - Variſciae.
- Origo Populi Variſcorum, §. II.
  - Generalis,
  - Specialis.
- Limites Variſciae antiqvae, §. III.
- Situs Variſciae antiqvae, §. IV.
- Situs Variſciae hodiernae, eiusdemqve propriae, §. V.
- Synonymum Variſciae, Vogtlandia, §. VI.
  - Qvid ſit Vogtlandia propria;
  - Vnde dicta ſit Vogtlandia;
  - A qvibus Vogtis Vogtlandia dicta ſit;
  - Cur Variſcia appellata ſit Vogtlandia;
  - Variſciae et Vogtlandiae nomina promiſcue uſurpari coepta.
- Limites Variſciae, et Vogtlandiae, hodiernae, §. VII.
- Synonymum Variſciae ſpurium, Merania, §. VIII.

A B

Vari-



A B Variſciae Bona Naturae:

- Aeris temperies, aqva, acidulae, §. IX.
- Fluvii, fluvioli, rivi, §. X.
- Fertilitas Soli, §. XI.
- Mons Piniſer, §. XII.
  - Definitio,
  - Homonymia,
  - Ambitus,
  - Diviſio,
  - Patria,
  - Lacus,
  - Flumina navigabilia,
  - Divitiae,
- Sylvae, §. XIII.
- Metalla, et Mineralia, § XIV.

Variſciae Oppida maiora, §. XV.

Variſciae Oppida minora, Vici, Caſtella, Aſyla, Gymnaſia, §. XVI.

Incolae.

- Eruditio, §. XVII.
- Ruſticus eruditus, §. XVIII.
- Opificia, mercatura, agricultura, §. XIX.
- Mores, §. XX.

A B

Variſciae

A

Situs remotior, §. V.

- Colles,
- Valles,
- Pontes.

Situs proximus, §. VI.

- Suburbia,
- Vicus Piſcatorius,
- Portae, et Portulae,
- Murus, et Foſſa.

Vrbis utriusqve partes, §. VII.

- Fora,
- Plateae,
- Viculi,
- Crateres,
- Putei.

Aedificia publica, eademqve ſacra, § VIII.

- Sacella,
- Templa.

Aedificia ſacra alia, §. IX.

- Coenobia,
- Gymnaſium,
- Xenodochium,
- Prochotrophea,
- Noſocomium.

Aedificia profana publica, aut publicis uſibus dicata, §. X.

A Reli-

A

- Religio Curienſium, §. XI.
  - Pontificia,
  - Emendata.
- Magiſtratus, §. XII.
  - Superior:
    - Priſtinus:
      - Duces Meranii,
      - Comites Orlamundani,
      - Advocati Veidenſes;
    - Hodiernus: Marchiones Brandenburgici;
  - Inferior:
    - Exarchus Provincialis,
    - Officiales Principales:
      - Qvaeſtor,
      - Epigrammateus,
      - Praetor Oppidanus,
      - Praefectus Cœnobii,
      - Praefecti Rationum Principalium,
      - Senatus Oppidanus,
      - Curatores.
- Bona, §. XIII.
  - Victus commodus,
  - Opificium,
  - Mercatura,
  - Fertilitas agrorum,
  - Marmor.
- Mala, §. XIII.
  - Peſtilentia,
  - Incendia,
  - Belli calamitas.

ERRA-

ERRATA

addenda ad calcem.

PART. I.

Lege, pag. 16, lin. 23, *Vogtlandia.* p. 43, l. 28, *milliarium.* p. 49, l. 15. *tum, tum;* pro: ſive, ſive. p. 65. l. 23 *character;* pro: inſigne. Ibid. l. ult *milliare unum*, pro: milliaria tria. Item: *tria;* pro: unum. P. 66, l. 25. *Olsnizburgum.* p. 70. *Godofredus;* pro: Georgius. p. 89, l. penult. *Vogtos;* pro: Vogtum. Item: *appellarunt*, pro: appellavit. p. 115, XVIII; pro: XXXII. Ibid. Iↄc; pro Iↄ.

PART. II.

Lege, p. 159, l. 24, *fuit*, ante: Variſciae. p. 162, l. 7. *Poſt vim;* pro: Vim.



PRAE-

PRAEFATIO.

QVo minus monumentorum de Variſcia extat, eo iuſtius noſtrum hoc molimur. Digna plaga nobilis, digna urbs urbium, cui tribuamus. Haud vero licet utriqve ſui praecones defuerint, dabitur tamen, ſperamus, noſtra etiam in his nomina profiteri. Vtinam Beklerus affectum de Vogtlandia Nova et Antiqva opus conſummaſſet! Qvem Atlantem qvod fata oneri huic inviderunt, eo minus noſtra de Variſcia, pariter et Curia Variſcorum, pietas conticeſcit.

B Aucto-



Auctores, qui aut ex instituto de Variscia scripserunt, aut aliis monumentis qvaedam attigerunt, hi fere sunt.

I, Christophori Philippi Valdenfelsii, Equitis Varisci, Monumentum Historicum, I, de Maioribus nostris; II, de Voitlandis Nariscis. Edit. A. cIↄ Iↄc LXII.

II, Eiusdem Selectae Antiqvitatis Libri XII. Ed. Norimb. cIↄ Iↄc LXXVII. Accesserunt his Additamenta MSS vulganda.

III, M. Io. Georgii Pertschii Origines Voitlandiae, et celebris in hac urbis Bonsideliae, Tractatus bipartitus, qvo Status priscus et hodiernus utriusqve Reipublicae declaratur. Ed. cIↄ Iↄc LXXVII, sumptibus Ordinis Senatorii.

IV, Petri Bekleri Illustre Stemma Ruthenicum, Teutonice scriptum. Ed. Sleizae, cIↄ Iↄc LXXXIV, impensa Auctoris. Ei libro iungantur Nobiliss. Dn. Ieremiae Schroeteri Animadversiones edendae.

V, Petri Bekleri Historia Hovorea, similiter Teutonice perscripta. Ed. Curiae Variscorum, cIↄ Iↄc XCIV. Ceterum in hoc opere auctor promisit Opus de Voitlandia Nova et Antiqva. Vid. P. I, L. III, C. 5, et P. II, L. I, c. 6. Sed, schedis MSS incendio urbis Sleizensis exustis, morte praeventus, fidem non liberavit.

VI, M. Io. Casp. Zopfii Chronicon Ruthenicum Geraviense. Ed. cIↄ Iↄc XCII.

VII, Lineamenta Historiae de Terra Advocatorum, sive Vogtlandia, publica disputatione proposita a M. Ehrenfrido Durrio, Mylense Varisco, et Ehrenfrido Klozio, Reichenbacense Varisco, Ienae, cIↄ Iↄc LXXV.

VIII, Caspari Bruschii Accurata, ut vocatur, Descriptio Montis Piniferi, Germanice concinnata A. cIↄ Iↄ XLII.

Ed.

Ed. a M. Zacharia Theobaldo Iuniore, Vitemb. cIↄ Iↄc XII, recuſa Norimbergae, cIↄ Iↄc LXXXIII.

IX, M. Io. Villii Teutonicus Paradiſus Pinifer, lingua Teutonica conſcriptus, adhuc manu exaratus, ſed propediem luce publica, ut ſpes eſt, donandus.

X, M. Enochi Videmanni Chronicon Curiae Regnitianae, confectum A. cIↄ Iↄ XCII. Vidimus pervolvimusqve αὐτόγραφον beneficio Ampliſſ. Dn. Chriſtiani Haſſii, Conſulis Curienſis, Patroni optime maximeque meriti.

PARS I.

DE VARISCIA.

I.

VARISCIA Regio pro Nariſcia iam pridem dici coepta eſt: Nariſcia a Gente Nariſcorum.

Nomen Variſciae uſitatius, qvam antiqvius: ortum ex nomine Nariſciae. Ut autem Variſcia pro Nariſcia, ſic Variſci pro Nariſcis dicti. Dioni Caſſio, Hiſtoriae Romanae L. LXXI, ex Theodoſio, Ναρίσαι· ſed C Corn. Tacito, de ſitu, moribus, et populis Germaniae, libro; item Iul. Capitolino, in vita M. Aurel. Antonini, Nariſci audiunt. Tacito recentior Cl. Ptolemaeus οὐαρισῶν meminit. Ita, de Geographia, II, II. ὑπὲρ τὰ σούδητα ὄρη· τευριόχαιμαι· ὑπὸ δὲ τὰ ὄρη οὐαρισοί. Supra Sudetos montes Teuriochaemae:

ſub montibus autem Variſti. Latini nomina illa in Nariſcos et Variſcos commutarunt. Iam, unde utrumqve nomen ortum ſit, oppido dubium: praeſertim, unde Nariſcorum. Horum appellationem Io. Aventinus, ſcriptor clarisſimus, a Nardge derivat. Ait enim, ſuis temporibus Nariſcorum terram Nordge, et Nardge, appellatam eſſe, i. e. terram aquilonis. Vulgus appellare Narca: inde a Corn. Tacito Nariſcos dictos. Ceterum, terram plagae ſeptentrionis adverſam vocari Sunderge. Annalium Boiorum I. Bilibaldus Birckheimerus, in Deſcriptione Noribergae, a Noricis antiqvioribus derivat. Sed Aventinus populos eos diſtingvit. Eodem enim, qvem diximus, libro dicit, Boiariam omnem diviſam eſſe in partes tres, qvarum unam Nariſci, iidemqve indigenae, aliam Vindelici, tertiam Norici incolant. Caſp. Peucerus, in Chron. Carionis, a confinio Norici. P. III, L. IV. Philipp. deniqve Cluverius a *THI NARISCHEN. Etenim, aut flumen Nabum accolis qvondam dictum eſſe THI NARE; unde genti nomen derivatum THI NARISCHEN: aut genuinum nomen THI NARISCHEN Romanos vitiaſſe in Nariſcos.* Germaniae Antiqv. III, 29. Id qvo minus credi posſit, vel unum hoc obſtat, qvod multo latius, quam circa Nabum fluvium, nomen Nariſcum patuerit. Sed de altero iam nomine videamus. Verbum Ναριςῶν primus corrupiſſe fertur Ptolemaeus. Philipp. tamen Valdenfelſius depravatum incuria librariorum putat. Select. Antiqvitat. XII, 20, 22. In alia vero omnia Aventinus abit, nec modo nomen aliunde ducit, verum etiam diverſum populum facit. *Variſtae,* inqvit, *populi Germaniae, in Boiemia cum Marcomannis habitarunt, qvorum pars erant, dicti, qvod ſaltus tenuerint, qvi Varſt Germanica lingva dicuntur.* in Nomenclatura qvorundam

pro-

proprioꝛum Germanorum Nominum," Annalibus praemissa. Qvae qvidem ratio parum videtur verisimilis: verior Magnif. Dn. Io. Georgii Pertschii, Patroni de nobis incomparabiliter meriti. Is, non unam qvidem eandemqve gentem Tacito et Ptolemaeo descriptam, autumat, sed tamen Variscos partem Nariscorum facit. *Neqve enim putandum est*, inqvit, *unam eandemqve gentem nobis hos auctores descripsisse. Totum, a Danubio in Misniam usqve, tractum Tacitus Nariscorum sedem facit. Ast non ea mens Ptolemaeo, qvi partem tantum Nariscorum describit, eosqve Varistos, aut (ut aliqvid largiar) Variscos vocat. Ergo istum totam Nariscorum nationem; hunc speciatim nostros descripsisse Maiores Voitlandos, et ambo simul nomina in usu fuisse, asseverare, qvid vetet amplius, non video.* Origin. Voitlandiae, et celebr. in hac urb. Bonsideliae, P. I, C. 2. Contra ea Cluverius nomina invicem exaeqvat, eademqve populum signasse unum, opinatur, et corruptum Οὐαριστῶν verbum existimat, non tamen, qvod aliis persvasum est, per omnia: nec mutandum necessario in Ναρισκοὺς. Nam fere credit, vocabula, Ναρισκοὺς, Ναρίστους, et Ναρίστας, promiscue qvondam Graecos usurpasse. German. Antiq. III, 29.

II. Fuit ea Gens Germaniae superioris populus: id qvod Tacito potissimum auctore constat, qvi Nariscos iuxta Hermunduros, Marcomannos, Qvadosqve, ponit.

Nariſcorum perobſcura origo eſt, niſi qvod, Germanos eſſe, nemo negat. Ita enim Tacitus: *Iuxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomanni et Qvadi, agunt.* de ſitu, morib. et pop. Germ. C. XLII. In media igitur Germania eos conſtituit. Hermundurorum ſedem hodie habitant Miſnici, Mancomannorum Bohemi, Qvadorum Moravi, itemqve, de qvorundam ſententia, Sileſii. At de his qvidem, adducta ratione, dubitat Beatisſimus Georg. Caſp. Kirchmaierus, Patronus noſter, dum viveret, Patris loco Venerandus, Libro ad Tacitum Commentario. Conf. Summe Rev. Dn. Pertſchius, P. I, C. 2. Tacito Capitolinum addimus, qvi memoriae prodidit, *conſpiraſſe ab Illyrico limite, per integram Germaniam, usqve ad Galliam: Marcomannos, Nariſcos, Hermunduros, Qvados, Svevos.* in vita M. Aur. Anton. Valdenfelſius natales populi ſigillatim a Noricis arcesſit: hos a Norice, ſive Norico, ortos memorat: Noricum ceteroqvin natum Manno, ſeu Alemanno, cognomento Hercule: hunc demum filium Tuiſconis primogenitum. Lect. Antiqv. XII, 9. Idem ſentit Aventinus, qvi tres Alemanni filios recenſet: Noricum, Hunnum, Helvetium. L. I. Noricumqve regnaſſe ſcribit intra amnes Danubium, Oenum, Dravum, Italiamqve. ibid. Tres ergo fluvios Norici meminit: Oenum, Danubium, Dravum. Conf. L. II. Noricorumqve regionem nunc *Boios, Auſtriacos, Stirios, Charinos, Tyrolios*, tenere. ibid. Eandemqve in Noricum mediterraneum primum, ſeu ſuperius, et medium, diſpeſcit: illud *Boios trans Oenum*, et *Tyrolios*, poſſidere; medium, ſeu ſecundum, *Styrios, Cariones*. ib. Attamen, velut ſupra oſtendimus, a Noricis Nariſcos ſeiungit. Seiungit ipſe Valdenfelſius, in Monumento Hiſtorico. ibi enim Noricos in populis non Germanicis numerat. Id

vero

vero arguere inprimis Plinium, et Tacitum, afferit. Hic inquit: *terra*(puta Germaniae) *aliqvanto specie differt, in universum tamen aut sylvis horrida, aut paludibus foeda: humilior, qva Gallias, verticosior, qua Noricum, ac Pannoniam, aspicit.* de German. C. V. Arguere praeterea Beat. Rhenanum, Rer. Germ. I, qvi Rhaetos, Noricos, et Pannonios, nihil unqvam cum Germanis commune habuisse, praeter Danubium, qvi vtrisqve loco limitis fuerit; proprioqve sermone, cultu, institutisqve, semper distinctos fuisse, referat. Item eundem, eodem libro, scribere, potius videri, Marcomannos, cum proximis Nariscis, et Hermundurorum parte, Danubium transgressos, Noricum, Vindeliciam, et Rhaetiam secundam, cum vicinis alpibus, occupasse. Aliud argumentum inde petit, qvod Romani Noricum, Rhaetiam, et Vindeliciam, ab Augusti tempore, usqve ad Odoacri irruptionem, annos circiter qvingentos possederint. Narisciam contra intactam semper Romano, externoqve imperio, fuisse. iterum vid. Monumentum adductum. Ceterum paulo post Iul. Caesaris tempora, post ultimum Noricorum Regem, Critosirum, qvi post Vocionem regnavit, Noricum in Romani Imperii provinciam redactum est. Perdomiti enim Norici, Vindelici, Rhaeti, A. XV, P.C.N. a fratribus Germanis, Claudio Tiberio, et Druso, Neronibus. Vid. Avent. II. Aliud deniqve Valdenfelsius argumentum a Phil. Cluverio, ex Introduct. in Vniverf. Geograph. III, 1, mutuatur, qvi Noricum ad vetus refert Illyricum: et, si qva sunt alia, qvae libro saepe laudato commemorantur. Mirum vero, cum Auctor a Norico, Manni filio, et Tuisconis nepote, genitos Nariscos, putet, iisdem Germanicam originem derogari. Accedit, qvod idem ille Norgoviam (Teutonice Norgau) asseveret, priscam fuisse Nariscorum terram,

ram, Narisciamqve fuisse principalem amplissimi regni Norici partem, ac praevalentem provinciam. Lect. Antiqv. XII, 15, 20. Sed salva res est, facileqve componi lis potest, si tamen a Cluverio discedamus. Videntur enim Norici distingvi posse in priscos, medios, et hodiernos. Omnes fuere Germanici sangvinis, at non omnes Germaniae populis annumerati. Antiqvi, ut fuerunt Germani, ita tales habiti: ab iisqve Narisci orti. Medii Germanis non accensiti. Atqve hi sunt hodierni Austrii, Boii, Stirii, Carni, Tyrolenses. De his Peucerus: *Norici*, inqvit, *Rhaeti, et Vindelici, olim non annumerabantur Germanis.* Chron. Car. L. IV. Accidit potissimum ideo, qvod, cum Rhaetis, Vindelicisqve, a Romanis victi, et in potestatem redacti essent. Hinc veteres scriptores, Tacitus, Plinius, et alii, Germaniae annumerare dubitarunt. Contra Narisci fuerunt libera gens, et invicta, saepe quidem bello a Romanis petiti, nunqvam tamen domiti, semperqve libertatem suam fortiter constanterqve defenderunt. Deniqve Norici hodierni et pars sunt Germaniae, et habentur. Conf. Celeberr. Dn. Pertschius, P. II, C. 4.

III. Nariscis Theodo, cognomento Primus, Dux Boiorum, plagam eam habitandam, colendamqve dedit, qvae Danubium inter, et Moenum, patet.

Qvo id anno factum sit, certo non liqvet. Illud certe, Theodonem obiisse A. P. C. N. qvingentesimo undecimo, teste Aventino, *III.* De concessione ipsa Casp. Bruschius memo-

memorat, eandemqve regionem dici hodie ait Norckau. in Descript. Mont. Pinif. Ei assentiens Valdenfelsius vocat Norgau, sed appellandam iudicat potius Naristengau. in Monum. Hist. Repetamus dictum Taciti: *Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni, et Qvadi, agunt, eaque Germaniae velut frons est, qvatenus Danubio praetexitur.* Qvod Valdenfelsius sic explicatum dat: *Ad meridiem, usqve ad Danubium, Narisci coluerunt; Marcomanni eis ad latus sinistrum assederunt; sub his Qvadi, orientem versus, in Silesia. Hermunduri fuerunt, ubi nunc Misnici et Thuringi; Marcomanni, ubi hodie Bohemi et Moravi; Qvadi sunt Silesii atqve Lusati.* Libro adducto. Cluverius autem ex eiusdem testimonio Taciti colligit, *Nariscos in ripa Danubii, inter Hermunduros, ac Marcommannos, qvi Boiohaemum incoluerint, egisse. Limites igitur fuisse, a meridie Danubium, ab Oeni confluente ad Ingolstadium usqve: ab occasu lineam, hinc ad Moeni fontes ductam: ab ortu aestiva Boiohaemicos montes, ac saltus.* Germ. Antiq. III, 29. Brevius autem alibi fines definit: *Narisci*, inqviens, *tenuerunt inter Boiohaemi occidentale latus, et Danubium, lineamque a Moeni fontibus ad oppidum Ingolstadium ductam; postmodo Armalausi dicti.* III. 3. Introd. in Geograph. Luculentissime autem describunt Strabo, et Ptolemaeus. Huius haec verba sunt, Geogr. II, 11. ὑπὲρ τὰ Σούδητα ὄρη, Τευριοχαῖμαι· ὑπὸ δὲ τὰ ὄρη Οὐαρισοί· εἶτα ἡ Γαβρῆτα ὕλη. Pauloque post: ὑπὸ δὲ τὴν Γαβρῆταν ὕλην, Μαρκομανοί. Hoc est: Supra Sudetos montes Teuriochaemae: sub montibus vero Varisti: postea Gabreta sylva. Sub Gabreta autem sylva Marcomanni. Sudetes montes partim sunt montes Misniae, partim Bohemici. In montibus sternitur saltus, tum Hercynius, tum Bohemicus. Pars saltus Hercynii est Thuringicus. Hinc intelliguntur Τευριοχαῖμαι, suntque Thuringi.

Hi ultra montes, ſaltumqve Thuringicum: Variſci intra. Saltum hunc excipit Bohemicus, qui eſt Gabreta ſylva: huius autem iugum piniferumeſt mons pinifer. Adductus enim Auctor paulo antea, Nabum fl. ex Gabreta ſylva profluere, tradit. Vltra Gabretam incoluerunt Marcomanni, i. e. Bohemi. Itaque Variſci Ptolemaeo ponuntur intra Sudetos montes: intra ſaltum Thuringicum, et Bohemicum: intra Theuriochaemas, et Marcomannos, i.e. Thuringos inter, et Bohemos. Verbo: Variſci a Bohemis diſiuncti interpoſita Gabreta, ſeu Bohemica ſylva: a Thuringis ſaltu Thuringico. Ordo rerum: Thuringi, ſaltus Thuringicus, Variſci, ſaltus Bohemicus, Marcomanni, ſeu Bohemi. His ita expoſitis, negotio nullo intelligi poterit Strabo, de Geograph. VI. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλη (poſt Ἑρκύνιον δρυμὸν) ὕλη Γαυρήτα μεγάλη, ἔπειτα δὲ τῶν Σηβύων· ἔπειτα δὲ ὁ Ἑρκύνιος δρυμός· ἔχεται δὲ κἀκεῖνος ὑπ' αὐτῶν. Eſt vero et alia ſylva Gaubreta magna, poſt qvam Svevorum ſedes: deinde Hercynius ſaltus: qvem et ipſi Svevi tenent.

IV. Qvare perampla fuit regio, Palatinatum ſuperiorem, Comitatum provincialem Leuchtenburgicum, terram Egranam, montesqve Nariſcorum, complexa.

De Palatinatu ſuperiore, qvi et Boiicus dicitur, ut et Landgraviatu Leuchtenburgenſi, vid. Cluver. German. Ant. III, 29. De terra Egrana Caſp. Bruſchius, qui, pertinuiſſe

nuisse ad veterum Nariscorum terram, diserte scribit: item, eam totam regionem Ducem Bojorum, Theodorum I. Nariscis incolendam dedisse. in Descript. Mont. Pinif. Montes Nariscorum Volfgango Lazio dicuntur Sudeti terrae Nariscorum montes. de Gentium Migrationibus, L. VII. Conf. Valdenfelsius, XII, 20. Hinc Bruschius Bayruthum salutat Marchionum Brandenburgensium oppidum in Voitlandiae (*Varisciae*) montanis situm. in Chronogr. Monast. Germ. Peucerus Franconiam montanam nuncupat. Ita ille: *Marcomannis, et Hermunduris, interiecti fuerunt Narisci, quos Variscos Ptolemaeus nominat, ubi Franconia montana, et Bavariae superioris pars aliqua, ad Noricum usqve protenditur, complectens Egram, Coburgum, Bambergam, Neagoram, Ambergam.* Chron. Car. L. IV. In montibus Nariscis, praeter tractus alios, tractus est Bonfidelienfis, olim dictus terra Boxburgiorum, Teutonice, der Boeckler Art, aut, das Boecklerlaendlein. Primi enim possessores ac domini fuerunt Eqvites Boxburgii, Teutonice, de Boxburg. Vid. Excellentiss. Dn. Pertschius, I, 7. Conf. Bruschius, qui veteri Narisciae Vogtlandiam adiungit: qua in parte dissentimus, paulo post rationem reddituri. In praesens monemus saltem hoc, Vogtlandiam veteris Varisciae portionem nequaquam fuisse. Bruschium haud dubie secutus Valdenfelsius, statuit, *Nariscorum non minimam partem Voitlandos extitisse, qui nunc generali vocabulo Narisci vocentur.* Statimqve subiungit: *Generalis regni Narisciae Voitlandiam tantummodo praecipuam partem esse.* Item: *Regnum illud incipere a Misnia et Thuringia, ac extendere se prope Bavariam: comprehendere Voitlandiam, Palatinatum, tractum Norimbergensem, item magnam partem hodiernae Franconiae.* in Monum. Hist.

V. Sed, progressu temporis, multum deminuta, ac pluribus divisa Dominis, maximam partem cum vicinarum nominibus ditionum coaluit: solus Curiensis tractus, pariter et Bonsideliensis, veteris nomen Varisciae, honoremqve, conservavit.

Accidit, interempto Ottone II, Andechisianae stirpis ultimo, anno C. N. CIↃ CC XLVIII. Post Principis excessum, cum reliqvae regiones, tum Ducatus Varisciae, discerptus in partes est. Potentissimus qvisqve invasit. Perseqvamur haec minutatim. Palatinatum superiorem, perinde ut Comitatum Leuchtenburgensem, Boiico limite comprehensos, Boius occupat: terra Baruthina, ut et vicina Variscia, cedit Burggraviis Norimbergensibus, qui deinde Marchiones Brandenburgici creati. Valdenfelsius, XII., 32. Egra quondam fuit Marchionum Vohenburgiorum in Boioaria. Theobaldus autem, ultimus eius terrae possessorum, dedit filiam suam, Adelheiden, susceptam ex Loicarde, Henrici, Boiorum Ducis, filia, Imperatori Romanorum, Friderico Aenobarbo. Filiae illam urbem, et circumiectam terram, quae iis temporibus principatus erat. Id quod factum est A. CIↃ C LXXIX. Inde ex urbe principali facta Caesarea, talisque mansit ad annum CIↃ CCCXV, per annos adeo CXXXVI. Sed, A. CIↃ CCCXV, ab

Impe-

Imperatore, Ludovico Bavaro, inter quem, et Fridericum, Anticaesarem, supra octo annos bellum fuit, pignori opposita, pro millibus marcarum, quas vocant, quadraginta argenti, Ioanni, Regi Bohemiae, et Poloniarum. Exinde facta urbs regia Bohemica: estqve etiamnum urbs eius regni splendida et insignis: ceterum Bohemicis montibus non clausa. De his videatur apud Bruschium, libro saepius adducto. Reliqua Variscia ad Comites Orlamundanos, ab hisqve subinde, per emptionem, ad Marchiones Brandenburgicos pervenit. Praedia Franconica Antistites, Bambergensis, et Herbipolensis, repetivere. Valdenfelsius, XII, 32.

VI. Vt tamen Varisciae limes imminutus, ita, accessione Vogtlandiae, auctus est. Fuit autem Vogtlandia pars Osterlandiae, qvae pars novum induit nomen, posteaqvam Domini Veidenses titulum Advocatorum, honoris caussa, asciverunt. Cumqve aliqva veteris Varisciae portio aliqvandiu in Vogtorum, ut appellabantur, potestate fuerit, hinc factum, ut Varíscia Vogtlandia, perinde ut Vogtlandia Varíscia, promiscue salutaretur.

 Re-

Recentius multo, qvam Varisciae, Vogtlandiae vocabulum est. Fuit enim Vogtlandia olim pars Osterlandiae. Petrus Albinus certe Vogtlandiam diserte vocat Osterlandiam. Chron. Misnic. P. I, Tit. 21. Hanc autem dicit regionem superioris Saxoniae, sitam inter Salam, et Muldam, fluvios; incipere a fontibus Elystri, ac fere productam esse usqve ad Salae, et Albis, confluentes: finesqve, quos alii statuant, Elystrum inter, et Muldam, nimis angustos: deniqve Osterlandiam comprehendere partem hodiernorum Vogtlandorum. Id. Tit. 14. Componatur Ern. Brotufius, limites Osterlandiae definiens, Chron. Martisb. L. II, C. 33. et Anhaltino, L. II, C. 9. Ceterum Osterlandia ita dicitur contemplatione Thuringorum, quibus, orientem versus, est finitima. Eamqve ob causam Ostduringia, et item Ostlandia, nominatur. Vid. Magnif. Dn. Adam. Rechenbergius, Dissertationum Historico-Politicarum varii et curiosi argumenti volumine, P. II, Dissertat. 18. de vetere Osterlandia. Proinde, de qvorundam sententia, incolae non pro Misnicis, sed pro Osterlandis Thuringis, aut Thuringis orientalibus, habiti. Albin. Tit. 14. Multos autem in comitatus, et dynastias, divisa fuit. Fuerunt in his, exempli causa: Plavia, Veida, Gera, Svanfelda, Greiza, Leucopetra, Groitscha, Pleissa, Altenburgum, Vetinum, Brena, Ilenburgum, Vurcena, Rochlicium, Coldicium, Leisnicium, Penigium; item Marchionatus Landsbergensis. Id. ibid. De dynastia Landsbergensi, Tit. 15. Item Lobensteinium, Sleiza, Veida, Triptitium, Steinium, Salburgum. Adi M. Io. Zopfium, Chron. Ruthenico Geraviensi, C. IV. Vniverse in partes tres descripta erat terra haec orientalis. Vna inter Salam, et Elystrum, patuit: alia Elystrum

lystrum inter, ac Plissam, eademqve pars terra Plisnensis dici svevit: tertia inter Plissam, ac Muldam. Ceteroqvin tota Osterlandia initio dicta terra Hermundurorum: deinde Sorabia: tum Osterlandia. de qua appellatione vid. iterum Zopfium, loc. adduct. Progressu temporis secunda, ultimaqve, adscripta, et innexa est Misniae, qvae regio qvondam intra Muldam Albimque continebatur. Factum auspiciis Conradi, Comitis Vetinensis, eiusdemqve deinde Marchionis Misniae, et Lusatiae. Hic, et, post ipsum, posteri Osterlandiam, in qva dynastias qvasdam hereditatis lege possidebant, Marchionatui Misncio maximam partem sensim innexuerunt. Albin. Tit. 14. Prima autem Osterlandiae pars coepta est dici Vogtlandia. Hinc modo dictus Scriptor Vogtlandiam diserte appellat Osterlandiam. Tit. 21. Deinde multi Osterlandiae comitatus, dynastiaeqve, in hodierna Vogtlandia cernuntur. Tertio urbes Vogtlandiae propriae omnes a Geographis Osterlandiae veteri inseruntur. Vide, e c. Abr. Ortelii Theatr. Orb. Terr. Iam vero, Vogtlandia unde dicta sit, curae sit dispicere. Placet qvibusdam derivare ab arce pervetusta Vogtsberga. Sed, Vogtsberga a Vogtlandia, dubium, an Vogtlandia a Vogtsberga, dicta. Longius vocis originem qvaerunt, qvi ad C. Iul. Caesaris tempora referunt, et, nescimus, a qvo Vogto, antiqvorum Noricorum Rege, arcessunt, idemqve nomen a Romanis corruptum iactitant, et mutatum in Vocionis. Hunc enim I. Caesarem Regem Noricorum appellare, eiusqve alteram sororem ab Ariovisto, Germanorum Rege, uxorem ductam, memoriae prodidisse, Commentar. de B. G. I. it. Comm. de B. C. I. Compon. Aventin. Annal. Boi. II. Nam, qvi sic statuunt, Vogtlandiam

diam pro parte praecipua magni Norici venditant. Fabulae. Nihilo rectius videntur iudicare, qvi a Vitis, seu Voitis, i.e. a Svitensibus, vocem trahunt. Hos enim Cimbriae incolas fuisse: inde, post diutinam migrationem, ab Helvetiis in viciniam ascitos: tum a Nariscis in societatem, pariter et viciniam, receptos, ultra migrantes Nariscos habuisse comites: hisque postea, a diuturna societate, nomen Voitarum remansisse. Qvam appellationem Valdenfelsius veri non dissimilem pronunciat, Monum. Hist. Sed idem tamen ille, eodem loco, coniecturam facit, Vitas, a Nariscis in societatem et viciniam assumptos, et in Helvetiam proficiscentibus, cum ceteris popularibus et Saxonibus, ascitos, Patres esse Svitensium; i. e. qvasi Saxovitensium. Olim enim Germaniam coluisse tres insignes et praeclaras gentes: Vitas, Saxones, et Anglos. At vero haec talia pererudite expendit ac refellit Magnif. Dn. Pertschius, P. I. C. 3. Rem haud dubie acu tangunt, qvotqvot a Vogtis verbi incunabula accersunt. At enim neqve horum eadem opinio. Aiunt qvidam, vixisse qvondam in Nariscia Equites celebres, Voitos genere, auctoritate insignes. Qvi cum maximam Vogtlandiae, tunc habitabilis, partem tenuerint, facile fieri potuisse, ut tota illa ditio Voitglandia, quippe Vogtorum terra, diceretur. Vid. Acta Fundationis Coenobii Curiens. in Chron. Cur. Sed aut illud probari debet, extitisse unquam tales homines, aut certe, terram nostram ab iis nomen cepisse. Nobis qvidem nomen Vogt videtur commune. Qvid autem sit, qvam definiamus, ante de ipsa notatione videamus. Perplexa hic et obscura omnia, vix ut habeas, ubi pedem figas. Qvidam, Germanicam esse illam vocem dictitant, alii Latinam, Graecam alii, alii deniqve Hebraicam.

Mart.

Mart. Magerus *IC.* ab Hebraeorum radice פָּקַד deducit, Advocatiae Armat. C. 2. M. Andr. Helvigius primo a derivato פָּקִיד praepositus, praefectus, tum autem ab radice adducta. in Etymologiis et Originibus Dictionum. Plures a Graeco βοηθός, qvod est adiutor curarum reip. et plebis scriba; unde βοήθεια emergit, administratio, praefectura, auxilium. In qvibus est Andr. Knichenius, de Iure Super. in Comm. I. alter. territ. C. 4. et Andr. Althamerus, Comment. ad Tacit. de Morib. German. Conf. Petrus Beklerus, in Historia Hovorea, qvam in honorem Illustrissimae Prosapiae RONOVIANAE elucubravit, P. II, L. I, C. 2. Ioanni Iacobo Draconi videtur verbum Vogt ortum a Latino Advocatus, in egregio tractatu de Origine et Iure Patriciorum. Conf. Beklerus, ibidem. Melchior autem Goldastus, ad Tyrolem, conatur ostendere, τὸ Vogt καθ' ἀφαίρεσιν ex Latino VoCaT deductum esse. Qvem Christoph. Besoldus refutat, eo qvod plane priscum sit Germanicum Voget, testimonio multorum Germanicorum rituum antiqvissimorum, Disc. de Iure Foed. C. 5. Voget autem sine dubio est ab antiqvo verbo Voegen, disponere, ordinare. Vid. Thomae Franzii pro Carolo Magno, primo Feud. Auctore, defensio, Struvii Syntagm. Iur. Feud. annexa: ubi simul dicitur, illos, qvi maius imperium habuerint, vocatos esse Voegete, a dispositione nempe, et imperio. Contra sunt, qvi contendunt, Vogt esse eum, qvi vorgehet, ut Furst, qvi furstehet, vel fur ist. Valdenfelf. Sel. Ant. XII, 23. Mirabilius ludit Stielertus, alio nomine dictus Spate, Vogt a Voden deducens. in Grammatice Teutonica (Teutscher Sprach-Kunst) Cui fere assentiens Iust. Georg. Schottelius, ait, *Vod venire a voeden, qvod sit fovere, alere, nutrire. Marobodunm esse Mehrvod*, i. e. *alumnum maiorem,*

magiſtratibus Otho, magnum certe conſularium numerum, non participes, bello contra Vitellium, ſed Comitum ſpecie, ſecum iusſit expedire, ut Tacitus prodit. Ceterum Comites illos Principum amicos, familiaresqve, honoris cauſa dictos, ex Hadriano Aelii Spartiani, et Aelii Lampridii Alex. Severo, eluceſcit. Conf. de hactenus dictis Deſideratisſimus noſter G. C. Kirchmaierus, Lib. Comment. in C. C. Tacitum de German. Temporibus autem Conſtantini M. Conſtantii, Iuliani, Valentiniani, Theodoſii, Impp. et numerus Comitum creſcere, et contra ea Praefecti ſenſim paulatimqve in desvetudinem abire. Praeficiebantur Comites, ſimiliter ac antea Praefecti, ſummis aulae, militiae, provinciarumqve muneribus, et officii, auctoritatis, atqve obſervantiae ergo, Principi aderant, eum domi militiaeqve ſectabantur, conſilio iuvabant, et, ut ſocii, ut aſſeſſores, ut iudices, forenſibus rebus praeerant, ea ratione, ut reip. bene eſſet, et iuſtitia omnibus conſtaret. Erant igitur vel Praefecti proprie dicti, vel iudices. Inde auditi Comites ſacri Patrimonii, ſacrarum largitionum, rerum privatarum, qvibus res familiaris omnis commiſſa; domeſticorum, theſaurorum per Thracias, horreorum, qvi mancipia qvaedam habebant, purgandis horreis, et pani Principis coqvendo, dicata; laborum, qvibus domus imperatoriae artifices, opificesqve, ſubiecti erant; ſcholarum, qvorum munus erat, ut praeeſſent epulis imperatoriis, et pace ac bello obſonia curarent; ſtabuli: item Comites rei militaris, rei caſtrenſis per Africam. Vid. Ammianus Marcellinus pasſim. item iterum iterumqve laudatisſimus Kirchmaierus. Conf. Bekl. H. H. P. I, L. III, C. 7. Erant etiam apud Francos Comites ſacri Palatii, erantqve, iudicante Beklero, iidem, at-

D 2 qve

qve apud Romanos erant Qvaestores sacri Palatii, atqve hodie sunt Cancellarii. C. 5. Tum vero Comites et iudicum officio fungebantur, vel in aula, vel in agro. Aevo Iustiniani Imp. Comitatus erat in curia, seu aula Principis, Iudicium Regium. l. milites, §. ignominiosa. ff. de re milit. ubi erat Imperator. Erat igitur tribunal summum. Conf. Beklerus, P.II, L.I, C.2. Huc pertinent Comites Palatini, qvi reddebant ius in praetorio, seu foro iuridico solenni, Teutonice dicti Pfalzgrafii, a Palanz, Pfalz, qvod Praetorium est. Vid. saepe laudatus, nec unqvam satis laudandus, B. Kirchmaierus. Dehinc Comites erant in agro constituti, qvorum permulti erant. Erant autem alii maiores, alii minores. Bekl. P.I, L.III, C.7. Huc pertinent vetera illa nomina: Comes per utramqve Germaniam, Comes Orientis, Comes Divitensium et Tungricanarum partium. Imo fuit et Comes maritimus. Vid. Ammian. Marcellinus, et conf. idem ille B.Kirchmaierus. Huc pertinent Comites veterum Germanorum, de qvibus Tacitus: *Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qvi iura per pagos vicosque reddunt. Certi singulis ex plebe Comites, consilium simul et auctoritas adsunt.* de German. C. XII. Huc pertinent Comites, qvi recentiore aevo provincias regebant, seu Comites Provinciarum. His datae et creditae erant provinciae, ut administrarent nomine Imperatoris et Imperii, certiqve terrarum tractus: huc Comites Limitanei, et qvi ad tutandas provincias, et arces, ab Imperatoribus, et Regibus, in imperio constituti erant. Bekl. P.I, L.I, C. 5. Carolus enim M. pellebat ex Boioaria Hunnos, et postea, ibi multiplicatis Slavis, praefecit his finium Comites, ut fines adversus irruptiones hostium tuerentur. Id. ib. Praefecturae etiam Limitaneae constitutae ab Henrico Aucupe, et aliis, contra Henetos, Sora-

bos

bos, Bohemos, Polonos et Silesios, Danos. Contra primos Brandenburgensis, secundos Landsbergensis in Osterlandia, tertius Misnica, qvartos Lusatica, qvintos Slesvicensis. Officium Marchionum fuit tueri limites contra proximos, et proferre; defendere bonos, et punire malos. Petr. Albin. Chron. Misnic. P. I, Tit. 9. Eundem fere in modum scribit doctissimus Georg. Fabricius. *Henricus* inqvit, *Auceps, Praefectos certis locis constituit, qvi limites defenderent, qvos Marchiones appellavit: Slesvicensem, oppositum Danis; Brandenburgium, Vandalis; Misnensem, et Lusatium, Bohemis, et Polonis: nam hi populi omnes Saxonibus erant infensi propter potentiam; cum subita incrementa eos ad suam perniciem capere cernerent. Praeficiebat autem spectatissimum qvemqve de nobilitate: unde multae illustres familiae adhuc ducunt originem.* Originum Illustrissimae Stirpis Saxonicae L. II. Qvin etiam, imperante Carolo M. et Othonibus, ut et Imperatoribus Francis, omnibus urbibus Comites praeficiebantur. Vnde factum, ut ager circumiectus diceretur Comitatus. Bekl. P. I, L. III, c. 7. Constituebantur, conseqventi tempore, etiam Palatini super integram regionem, qui excellentiore titulo Comites Palatini salutabantur. Vid. toties laudatus B. Kirchmaierus. Reliqva Comitum nomina fere sunt: Centgravii, qvi in centenis iurisdictionem exercebant; Dickgravii, qvibus conservatio aggerum demandabatur; Dinggravii, i. e. iudices pedanei; Gogravii, i. e. iudices agrarii; Hansgravii, i. e. litium, ad mercaturam pertinentium, Comites; Holzgravii, Lehengravii, Raugravii, Comites Rheni, qvi circa Rhenum summae rerum praeerant; Rugegravii, Salzgravii, Spielgravii, Vicegravii, seu Vicecomites, Vildgravii, Vitgravii, qvi mulctis exigendis praepositi erant. Conf. denuo B. Kirchmaierus. Ceteroqvin Comites omnes initio per-

petui non erant, sed temporarii, eoque minus eiusdem heredes dignitatis. Adeatur iterum B. Kirchmaierus. Post longa tamen tempora multorum, eorundemque bene meritorum, titulus factus est hereditarius. Conf. Bekl. P. I, L. III, C. 8. et Albin. P. I, Tit. 9. Demum vero de Comitibus unum hoc addimus, hunc titulum, qva officii nomen fuit, durasse usqve ad seculum decimum: ab eo fere tempore coepisse nomen Advocatorum, idemqve usurpatum esse usqve ad seculum duodecimum. Igitur, qvi ante seculum decimum fuerunt Comites, iidem postea Advocati. Conf. Bekl. P. II, L. I, C. 2. Horum originem Scriptores Henrico Aucupi Imperatori tribuunt. Is multa in his terris tanto Principe digna gessit, et in medio Trianguli, ut vocant, qvod oppida Lengenfelda, Reichenbacum, et Hirsfelda, constituunt, cum populo, qvem Vandalos esse qvidam volunt, signa contulit, eumqve fregit. A praelio sylva ibi nomen tulit, et Streitholz dicta est. Multa hinc loca Henricus restitui curat: inqve his urbem Zvickaviam, ubi Praefectum Cuniconem ordinat, qvi Advocatus Zvickaviae appellatus est, a qvo Advocatorum, seu Vogtorum, nomen remansit. Desumpsimus haec ex Matth. Dress. de Vrbib. Germ. qvi addit, eos Advocatos postea coepisse appellari Voigtos Plauenses, a loco, qvem tenuerint: postea vero in familias plures qvasi disseminatos esse, Geranam, Veidensem, Ruthenicam. Haec vero nos, ut nusqvam alibi, qvod qvidem sciamus, tradita, inter dubia ponimus. Illud exploratius est, varia fuisse Advocatorum genera, proinde ut Praefectorum, ut Comitum. Vniverse autem Advocati vel seculares fuerunt, vel Ecclesiastici. Ex illo genere Landvogti, Schirmvogtii, Burgvogti. Ita Carolus M. Vitekindum II. Vitekindi M. filium, Landvogtum Soraborum constituit. Atqve

S. Her-

S.Hermanni I. filii, et Ludovici S. fratres, Thuringiam, et Hassiam, tutelari imperio administrantes, Landvogti Thuringiae, et Hassiae, dicti sunt. Eiusdem generis et fuerunt Advocati Austriae, Comites Pabebergii, Albertus et Leopoldus. Vid. Bekl. Illustr. Stem. Ruthen. Saxones trans Albim Caroli M. Landvogtos trucidasse legimus. Valdenfelf. Antiqv. XII, 23. Latissimum enim Vogtorum verbum est, et qvosvis Satrapas, Praefectosqve, designat. Talem etiam Praefectum qvendam Pabebergium Georg. Fabricius nominat. *Dedo I.* inqvit, *Thimonis, Marchionis Misnensis, filius, uxorem ducit Bertham, Viperti, Osterlandiae Marchionis, et Comitis Groizensis, et Adelheidis Brabantinae, filiam; ex qua genuit Mechtildim, nuptam Comiti Rabadoni, Praefecto Pabebergio, qvem Advocatum nominant Annales, et Voctum lingva appellat vernacula.* Origin. Illustr. Stirp. Sax. L. V. Advocati Ecclesiastici Ecclesiarum, sacrorumqve, tutores fuerunt. Tantiqve hoc ius Advocatiae fuit, ut vel ipsi Imperatores Augustissimi huiusmodi Advocatorum titulum, tanqvam egregium decus, arripuerint. Bekl. H. H. P. II, L. III, C. 15. Ita Henricus Auceps, propter summum ius Patronatus, qvod in Ecclesiam Romanam habuit, strenuus Ecclesiae Advocatus audit. Vid. Bekl. Ill. Stem. Ruth. Ita Advocati, i. e tutores Ecclesiae, appellati sunt similiter Carolus M. Fridericus I. et eius filius, Henricus VI. Idem H. H. P. II, L. I, C. 2. Vniverse Imperator Romanorum Iure Sax. Advocatus Romanus, (Obrister Vogtherr der Kirchen) appellatur. Valdenfels. Antiq. XII, 23. Qvemadmodum autem Imperatores in Administratione reipubl. Advocatos sibi adiunctos habuerunt, ita etiam in Ecclesia, ut Magistratuum secularium munia obirent. Id. Ill. Stem. Tales autem Advocati, et Patroni, fuerunt constituti super Episcopatus, Abbatias, et Monasteria. Valdenfels. l. d. Henricus

ricus I. Imp. ius advocatiae dedit Arnolpho, Alemanniae Duci, seu Duci Sveviae, super Monasteria multarum donatarum dynastiarum. Ante hunc Carolus M. Coenobii Campidonensis designavit et constituit Voitos, seu Advocatos: Ducem Bavariae ad Marschallum, Saxoniae Ducem ad Pincernam: Montis Fortis Comitem ad Dapiferum: Comitem de Nellenburg ad Camerarium: qvae munera advocaturae dicebantur. Id. ibid. Similiter Comites Vetinenses, Landgravii Thuringi, et Marggravii Misnici, olim multorum Coenobiorum, ut Reinhardsbrunnensis, Pegaviensis, aliorumve, Vogti fuerunt. Bekl. III. Stem. ubi, more suo, diplomata adducit. Multi alii Principes, in Edictis suis, eodem nomine sese extulerunt. Ita Conradus, Palatinus Rheni, publice se nominari curavit Aedium Vormatiensis, Vurciburgensis, Argentoratensis, Spirensis, Fuldensis, et Veissenburgensis, Praesulem, et Castenvogtum. Valdenfelsius, l. d. Vt propius in rem veniamus, Vogti etiam Domini Veidenses, dicti sunt: non tamen constituti. Vltro enim titulum Vogtorum, tanqvam singularis honoris ergo, sibi addiderunt. Testis est ipse Beklerus, qvi ait, *Eckebrechti, Comitis Osterodensis, Svarcenbergensis, et Plauensis, et Dynastae Veidensis, filium, Henricum I, Comitem Osterodensem, Dynastam Plauensem, se Voitum appellari passum.* Ita enim se ipsum nominasse: *Henricum I. Dei Gratia, Voitum, Comitem in Osteroda, Svarcenberg, Glisberg, et Plauen. Henricum autem II. primo omnium appellatum Voit de Vyda, et postea Voitum Voitlandiae.* Ita vero se nominasse: *Henricum II. Dei Gratia S. R. Imp. Voitum, Comitem in Osteroda, Svarcenberg, et Glisberg, Dominum a Plauen.* Huiusqve filium Henricum III. se appellasse: *D. G. S. R. I. Voitum, Comitem in Osteroda, Svarcenberg, et Glisberg, Dominum a Plauen.*

Eun-

Eundem ſe appellaſſe, patris exemplo, *Voitum in Vyda:* eundem porro non ſolum illas dynaſtias tenuiſſe, ſed ſimul toti Voitlandiae imperitaſſe: eundemqve illum dictum eſſe cognomento Divitem, S. R. I. Advocatum, Dominum in Vyda. Deniqve *huius Henrici, Domini in Vyda, qvatuor filios, Henricos, omnes omiſiſſe titulum Comitum in Oſteroda, Glisberg, Svarcenberg, et Dominorum a Plauen, et ſponte aſſumpſiſſe titulum Voit, qvippe maioris tunc honoris et dignitatis verbum, et, tanqvam hereditarium, aſciviſſe.* Vid. Bekl. Ill. Stem. R. Conf. Paul. Langius Chron. Citizenſ. ad ann. CIↃ CXCIII. Qvod ſi tamen Advocatia Eccleſiaſtica ſpectatur, Domini, qvos diximus, Veidenſes, et Plavienſes, a Friderico I. Imp. eiusqve filio, Henrico VI. circiter A. C. CIↃ CL, Advocati, et Patroni Monaſteriorum huius viciniae creati ſunt. Bekl. H. H. P. II, L. I, C. 2. Tandem vero nunc e diverticulo in viam revertimur, et, unde Vogtlandia dicta videatur, perqvirimus. Negamus autem, a Praefectura dictam eſſe CL. Druſi Neronis; et negant nobiſcum pleriqve: multi autem dubitant: pauci exiſtimant, eo regionis Druſum, Auguſti Caeſ. privignum, Liviae Druſillae ex Tiberio Nerone filium, penetraſſe. Inter affirmantes eſt Peccenſteinius, qui Theatr. Sax. affirmare non erubeſcit, Druſum, Tiberii Imp. aetate A. poſt C. N. XXI, illum terrae tractum occupaſſe, et propugnaculum Voitsberg extruxiſſe, ibiqve ſedem fixiſſe, eamqve ditionem poſtmodum Romanis Praetoribus, ſeu Advocatis, hereditati ceſſiſſe. Adducit ea cauſa verſus, in arce illa repertos, qvos ipſi nos vidimus, in atrio Principalis Coenaculi, in pariete, ad ſiniſtrum latus, adſcriptos. Sunt verſus autem iſti:

Caſtra locans Druſus hic Praetoria nomina monti
Fecit, poſteritas ſervat et illa ſibi.

Drusus/ der edle Römisch Voigt/
Erbauet diesen Berg in Noth/
Da Er Krieges in Teutschland pflag/
Voigtsberg heist er noch diesen Tag/
Darnach ward auch von ihm genant
Diese Gegend/ und heist Voigtland.

Primum Latinos illos lectos fuisse ferunt: his autem postea deletis, rythmos hos Germanicos ab alio Vogtlandiae Praetore Romano substitutos. Inde qvidam Latinum nomen finxerunt, ac regionem circa Vogtsbergam terram Praetorianam appellarunt. Illam enim, ab Romanis in provinciae formam redactam, a Praefectis Romanorum continenter administratam esse. Conf. Bekl. III. Stem. R. Nos qvidem, et magna historicorum manus, versus istos spurios, ingenioseqve confictos, ducimus. Multis enim, cur ita sentiamus, causis adducimur. Nam, primo, qvidni potius marmoreae statuae, aliave tropaea, erecta? Deinde, nunqvam in hancce Germaniae mediae partem venit Drusus. Nemo historicorum, qvi bellum eius Germanicum exposuerunt, mentionem facit, unqvam terram Nariscorum oppugnasse, nedum eius rei vestigia reliqvisse. Repulsi aliqvando Narisci, sed foris; at in suis sedibus invasi nunqvam, multo minus bello subacti. Postqvam Rhaeti, Vindelici, Norici, ut et Daci, crebras cis Danubium irruptiones fecerant, igne et ferro omnia vastaverant, concitatus Caesar Octavius Augustus Drusum cum imperio misit. Hic Noricos, Vindelicosqve, aggreditur, inqve ditionem redigit. Veniunt auxilio Narisci, Marcomanni, Qvadi, atqve Svevi: ad Istrum, Germaniae terminum, hosti resistunt. Qvo factum est, ut cum ceteris Narisci repellerentur. Statutus tunc limes Danubius Ro-

manos inter, et Noricos: ripa Romanorum praesidiis munita. Vid. Avent. I. Cum autem eo ipso tempore, Sicambri, correptis subito armis, M Lollium cum copiis profligassent, et, in Romanorum ignominiam viginti e Romanis centurionibus crucibus affixissent, vindicta denuo Druso delegata. Igitur cis Albim Sicambros, et Cheruscos, eorumqve foederatos, adoritur, et trans Albim submovet. Videantur, Dio Cass. LIV. Vellei. Paterc. Hist. Rom. II, 97. Eutrop. Breviar. Rom. Hist. VII, 5. Conf. Avent. II. Trans Albim qvidem tunc Svevi, Marcomanni, et Narisci, victoris traiectionem expectant: sed Drusus non traiicit. Neqve item ulli Romanorum alii traiecerunt. Strabo certe auctor est, Drusum Germanicum, inter Salam, et Rhenum, fluvios, mortuum esse. Geogr. VII. Idemqve, plagam, qvae trans Albim Oceanum spectet, Romanis prorsus esse incognitam; et mox: Romanos Albim ipsum non transiecisse. ibid. De Druso Io. Xiphilinus scriptum reliquit: *Drusum, Tiberii fratrem, missum contra Celtas, qui trans Rhenum incolant, captis rebus omnibus, quae factae essent obviam, usqve ad Albim fluvium esse progressum, qvi a Vandalorum montibus maximus in eum Oceanum influat, qvi spectet ad septentriones. Ibi qvandam mulierem inusitata magnitudine ei occurrisse, atqve ita dixisse: Qvo pergis Druse cupide, et inexplebilis, non enim potes haec omnia ex fatis videre: qvamobrem recede, nam tibi iam adest exitus vitae, et rerum tuarum omnium. Itaqve Drusum, cum celeriter reverteretur, tamen in itinere morbo extinctum esse.* Epit. Dion. L. V. Io. Aventinus, et interdixisse Caesarem Augustum, ne Albim traiiceret, et, qvo mortis genere functus sit, simul enarrat. *Caesar Augustus*, inqvit, *sentiens, se Gallias, et conterminas provincias, tuto, et qviete non posse tenere, quod crebro Germani in Romanas provincias, facilem nacti occasionem, incur-*

incurrerent, omnia inqvietarent, igne, ferro, flamma, cuncta vastando: simul et in honorem patris sui Caesaris, qvem, bis transvectum ponte Rhenum, bellum qvaesisse sciebat, Germaniam facere provinciam concupivit. Curam atqve onus Germanici belli CL. Druso Neroni delegabat. Paulo post: *Drusus Bonnae, Novesiiqve, Rhenum pontibus iunxit, classibusqve firmavit. Catios, Sycambros, Svevos, Angilos, Cheruscos, i.e. Hessos, Bestofalos, Thurogos, Saxones, cis Albim, pariter aggressus, qvi Svevis trans Albim, et in Brojemia (qvorum Rex Marobodus) foederati erant. Caesar etiam Augustus Albim transgredi vetuit, ratus, se facilius domiturum hos, si Transalbiani quieti essent, nec eos lacessisset. Species qvoqve, mulieris Germanae habitu, Drusum amplius tendere sermone Latino prohibuit.* Pauloqve post: *Drusi monumentum adhuc Moguntiaci monstratur, cuius et Divus Hieronymus mentionem facit. Exercitus enim ei honorarium tumulum excitavit, circa qvem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumqve civitates publice supplicarent. L. II.* Qvae cum ita sint, pudeat sententiae, qvam supra exposuimus, fautores, ex calamitate captare laudem, in nobilitate victoris quaerere gloriam, Drusos arcessere Roma, aliunde emendicare famam inclytae Genti. Demum vero monemus, eosdem nec sibi ipsis constare, cum arcem trecentis circiter annis ante C. N. extructam arbitrentur. Atqvi Drusus, A. post V. C. IↃC XLV. ante C. N. octavo, diem obiit. Causa igitur apparet nulla, cur ab herois Romani praefectura Vogtlandiae nomen repetamus. Sed neqve melior est opinio, qvae a praefectura Romana qvacunqve derivat. Qvae sententia Dresseri est, qvi putat, fuisse Voigtlandiam a Voigtis, seu Praefectis, dictam, qvi a Romanis Imperatoribus, tanqvam Iudices, et Praesides, provinciam Romani Imperii gubernarint. Ab Imperio autem Romano eam

in ius et potestatem vetustae familiae Voigtorum concessisse. Hos enim ab Imperatoribus tantum impetrasse, ut Voigtlandia in hereditarium feudum converteretur. de Vrbib. German. Nihilo item melior, qvae, sive ab Advocatis inferioribus, sive ab arcium praefectis. Ea vero Petri Albini est, qvi inqvit: *Osterlandi ad oppida Plauen, Geram, ac Vidam, ex incuria Voigtlandi appellati sunt: ratio tamen reddi potest, qvod Plauensis Advocatus suos ibidem inferiores Advocatos constituit, ac postea inter suos divisit, vel, qvod, ibi locorum usu sic obtinente, arcium praefecti Advocati, seu Voigti, cognominati sint.* Non multo tandem melior Abrah. Ortelii, qvi, Vogtlandiam nomen ex eo sortitum, asserit, qvia qvatuor olim Romani Imperii Praetoribus subfuerit. Theatr. Orb. Terr. Id qvod probatione eget. Nam nec qvatuor Vogti huic terrae nomen dederunt, nec quatuor illi, qvi primi dicuntur Vogti, fuerunt primi, nec qvidem fuerunt sacri Imperii Vogti creati, sed confirmati, nec deniqve fuerunt tales administratione, sed hereditate qvadam, atqve successione. Statuendum vero omnino arbitramur, Vogtlandiam recepisse nomen suum ab Advocatis, non tamen ab Imperatore constitutis, sed dignitatis, honorisve causa, ita appellatis; adeoqve non ab administratoribus provinciae Romanae, sed a suis ipsam dominis, et possessoribus hereditariis: sigillatim a Dominis Veidensibus. Dicti qvidem hi sunt S. R. I. Vogti in Diplomatibus Caesareis, iisdemqve terra Advocatorum ab Imperatoribus concessa; sed concessu non primo, verum iterato, et lege iuris beneficiarii confirmato. Tum concessa non tanqvam terra Praetoriana, sed velut hereditaria, sed velut patrimonium, iam ante Advocatorum tituli adoptionem possessum. Nunqvam enim Advocati illi provinciam S. R. I.

 rexe-

reverunt, sed ditionem propriam, et a Majoribus devolutam. Et qvanqvuam patrimonium, magnificentia Imperatorum Romanorum, inprimis Friderici Aenobarbi, auctum esse non diffitemur, qvod vel argumento arcis Vogtsbergae, olim ab Advocatis possessae, antea vero ad Imperatorem et Imperium pertinentis, constat, tamen Domini, qvos saepe diximus, Veidenses, cum diu ante Advocati consalutati sunt, tum vero fundos acceperunt non temporarios, neqve administrationis titulo, sed perpetuos, atqve hereditarios. Qva in parte dissentimus a Beklero, a se ipso, nisi fallimur, dissentiente, H. H. P. I, L. I, C. I. Cum enim in Ill. Stem. R. Dominos Veidenses ultro titulum Vogtorum prensasse scripserit, tamen, cum loco antea dicto scribit, Fridericum I. Henricum Plauensem summum S. R. I. Vogtum, et Advocatum huius regionis creasse, ita ut postea Praepotens Possessor totius Vogtlandiae appellatus fuerit: tum P. II, L. I, C. 2. eum Henricum, auspicio eiusdem Imperatoris, filios suos qvatuor terrae suæ Vogtos renunciasse. Dicti item sunt, fueruntqve revera, iidem Domini Veidenses Advocati Monasterii Qvedlimburgensis: at neqve huius sanctissimi muneris ratione Vogtlandia appellata est Vogtlandia. Multo enim ante ita audiit: et Advocati item diu ante Advocati. Ex qvo cognosci potest, qvid habendum sit de Alb. Kranzii testimonio, qvi, cum de armis Caroli IV, contra Plauensem sumptis, agit, sic commentatur: *Terra est Advocatorum non longe a Saxonia superiore, qvam primus Henricus, Romanorum Rex, subiecit Monasterio Dominarum in Qvedelenburg, constituens qvatuor per terrae angulos totidem Advocatos nobiles, qvi Barones dicuntur, de Wida, de Gera, de Russe, de Plawe* L. IX, C. 33. Qvid item habendum de nova Bekleri sententia, qvi in Ill. Stem.

Ruth.

Ruth. scribit: *Henricum Aucupem Caesarem, fusis ad Martisburgum Hungaris, Vogtos constituisse in ea regione, quam Monasterio Qvedlimburgensi donaverit, qvaeqve deinceps Vogtlandia dicta sit, hodieqve dicatur, aliqvot veteranos Romanos.* Quid postremo de iudicio eiusdem, qvod eodem libro consignavit. Post, enim paulo non universe Dominos Ruthenos, ratione Monasterii dicti, Advocatos Vogtosqve dictos esse, sed tantum ultimum Henrici Divitis filium; eundemqve Dominum Geranum: ceteros autem, Dominum Veidensem, Plaviensem, Graizensem, ratione ipsius Vogtlandiae. Aut omnia nos fallunt, aut certe adducta testimonia idoneas, qvibus fulciantur, rationes reqvirunt. Stat igitur utiqve asseverare, Vogtlandiam nostram ab Advocatis, in qvantum suapte sponte, et qvidem honoris causa, sive se ipsos Vogtos appellarunt, sive appellari siverunt, appellatam esse. Qvo id autem anno primum evenerit, in incerto est. Certum, imperante Henrico Aucupe, qvi A. C. ɔɔc ccc xix imperator salutatus fertur, nomen Advocatorum in hoc terrarum tractu efflorescere coepisse; sed tamen probabile, nomen ipsius Vogtlandiae ante tempora Friderici I. coeptum vix esse, qvi, A. post C. N. cIɔ cLII, Augustus inaugeratus est. Eo qvippe imperante Henricus II. Comes Osterodensis, primo Vogtus de Veida, postea Vogtus Vogtlandiae, huius autem filius S. R. I. et totius Vogtlandiae Advocatus consalutatus est. Vid. Bekl. III. Stem. Ruth. Ceterum tractus iste Vogtlandia per eminentiam dictus est. Nam et Lusatia Vogtlandia audiit. Vid. Monachus Pirnensis, item Albinus, Chron. Misn. P. I. Tit. 9, 14.15. Sed ex alio capite: nec nomen, perinde ut nostra, Vogtlandia, servavit. Iamqve perdifficili labore fuerimus defuncti, si unum adhuc explanemus. Postqvam

enim

enim satis, ut opinamur, constat, esse Vogtlandiam partem Osterlandiae, ostendendum nunc, qvi factum sit, ut pars illa Varisciae veteris, qvae antiqvum tuetur nomen, Vogtlandiae annumeraretur. Nam et pars illa, qvam diximus, Narisciae antiqvae, et pars haec Osterlandiae, eodem Vogtlandiae nomine, et iam pridem insignita est, et hodieqve insignitur. Otto, Comes Orlamundanus praepotens, idemqve Ottonis II. ultimi Meraniae Ducis, gener, in bona huius ex dodrante succedens, Curiam Nariscorum, muro nondum circundatam, A. C. circiter CIↃ CC LX, celebri illi Henrico Rutheno, pro definita pecunia, oppignoravit. Is autem Henricus Curiam pro sede sua elegit, electamqve moenibus ornavit, arcemqve magnificam extruxit. Atqve ab eo emptionis tempore Advocati Veidenses sese Advocatos de Wyda et Hof appellarunt. Vid. Valdenfels. XII, 32. et Bekl. Ill. Stem. Ruth. Inde ergo factum credimus, ut Curia, pariter et ager Curiensis, Vogtlandia vocaretur. Sed qva ratione tractus Bonsideliensis idem nomen sortitum sit, non satis liqvet. Forte, cum priscum Varisciae nomen, praeter Curiam, agrumqve Regnitianum, fere nihil terrarum retinuerit, nisi Bonsideliensis tractus, in exemplum Curiae, et ipse Vogtlandia dici consvevit. Qvemadmodum autem Variscia illa Vogtlandia, sic Vogtlandia vicissim Variscia dicta, nominaqve illa exaequata sunt, ac pro iisdem habita. Ceterum, sicut Variscia improprie Vogtlandia, sic Vogtlandia improprie Variscia appellitatur. Varisci enim proprii terram intra oppida, Curiam, Norimbergam, et Ambergam, incoluerunt, censente Albino, Chron. Misn. P. I, Tit. 13. Sed Vogtlandi sunt Osterlandi. Osterlandiae enim tractus a fontibus Elystri initium cepit, ad urbes, Martisburgum, et Halam, pertingens. Id. ibid.

ibid. Qvo loco et hoc subiicit, accolas alterius Salae lateris, necnon Sudetorum, minus recte Voitlandos dici, et Voitlandos finitimos, cum Osterlandorum nomen in nomen Misnensium commutatum sit, his Misnensibus merito esse accensendos.

VII. Itaqve, sive Variscia hodierna, sive hodierna Vogtlandia, Bohemiam, in orientem Solem, spectat: versus Solis occasum, Franconiam, Thuringiamqve: contra meridiem, Palatinatum superiorem: versus septentriones, Misniam.

Speciatim fines Varisciae describamus. Ortum inter Solis, et septentriones, primus vicus est Hohenberga: hunc excipiunt, Selba vicus, Elystra pagus, Neukircha vicus, Adorfium, et Schoeneccium, oppidula. Inde, per sylvam Landsgemein, pergitur ad fontes Goletii fl. ad Falckensteinium, Aurobacum, et Lengenfeldam, oppidula; indeqve ad oppida, Reichenbacum, Graizam, et Bergam. Inter septentriones, et occidentem Solem, sita oppida: Veida, Gera, Triptitium, Neostadium. Inter occidentem, et meridiem, loca haec sunt: Ziegenrucka, oppidulum, Vurcibacum, sylva Franconica, Valdenfelsium, Presеccium, et Cella, vici; Veissenstadium oppidulum; deniqve Lacus Montis Piniferi. Latus ad meri-

diem cingunt : Bonfidelia oppidum, Arzberga vicus, Schirnding, pagus et angustiae.

VIII. Varisciam et Meraniam qvondam appellatam esse, admodum incertum, nec ullis argumentis idoneis comprobatum est.

Fuisse Ducatum Meraniae, indubium: verum, an ille cum Variscia paria fecerit, nisi falsum, certe valde incertum. Melchior Goldastus: *Ego*, inqvit, *qvi hic Ducatus sit, aeque cum ignarissimis scio, nisi si Moravia sit, qvae adhuc Alemannis Meran, interdum Merenland.* T. I. Alem. Rer. ad C. XXXI. Eccehardi de vita B. Nortkeri Balbuli. Alii intelligunt Croatiam, et Dalmatiam. Andr. Knichenius, Vir Consultiss. de Iure Superior. in Com. I. alt. Territorii, C. IV. *sub Ducatu*, inqvit, *Meraniae, ab urbe maritima indigitato, intelligitur Croatia, et Dalmatia.* Alii sic opinantur, fuisse olim insignem in Imperio Ducatum, iuxta Dalmatiam, et Croatiam. Siffridus, Presbyter Misnensis, sic ait: *Meronum nomen significat ad mare considentes: a qvo non discrepat nomen Meraniae, qvae olim in Imperio insignis fuit Ducatus, iuxta Dalmatiam, et Croatiam.* Commentario de Origine Misenorum, qvi continetur Georg. Fabricii Rerum Misnicarum Libris VII. Alii Meraniam ponunt inter Dalmatiam, et Croatiam, et putant, esse Ducatum maritimum, propter mare Hadriaticum. Vid. Valdenfelsius, Sel. Antiqv. XII, 29. Alii, nec ii parvo numero, Ducatum Meraniae cum Vogtlandia confundunt. In his Ioach. Curaeus, Silesiaci Chronici

Scri-

Scriptor. *Regio illa*, inqvit, *ab antiqvis Nariscis inhabitata, Imperatoris Friderici Barbarossae aetate, Merania, et posteris temporibus, Voigtlandia audiit. Mascula enim Ducum Meraniae stirpe in Ottone exspirante, a vicinis occupata, atqve invicem divisa est; partem Bambergensis, et Wirtzbergensis, Episcopi, partem Norimbergensis Burggravius, sibi vendicant.* Qvem inclytus Thomas Reinesius erroris accusat, propterea qvia librarii veteres saepe pro Moravia posuerint. Ita enim inqvit: *Librarii veteres solenniter in hoc nomine erraverunt, ut ubiqve fere scriptorum, et in ipsis instrumentis publicis, rescriptis, et decretis Imperatorum, in Moraviae abierit, sed qvos castigare intererat historicae veritatis.* Addit: *Qvi sint, fuerintqve, isti* (scil. Meraniae Duces) *video, viros πολιτικωτάτης non dubitare solum, sed plane ignorare.* Tandem vero in eam it sententiam, ut existimet, Duces a possessione oppidi Meran, ad sinistram Athesis ripam, cui ex opposito castrum regium Terioli, Terle/Tyrol/ immineat, et territorii adpertinentis, denominatos esse. Variar. Lect. C. XVI. Sed recentissimus Auctor, P. Beklerus, omnino pro Vogtlandia nititur, et Meraniam a Mare, qvae sit vetus arx, et urbs Meran Vogtlandiae, non autem Tyrolis, dictam vult. H. H. P. I, L. I, C. 7. Est illud oppidum situm inter Cygneam, et Altenburgum, oppida, via media, et hodie Illustrissimis Dominis Schoenburgiis paret. Hoc oppidum itaqve Beklerus credit nomen habere a vetustis Ducibus in Meran, iisdemqve comitibus de Andechs. *Duces de Meran*, inqvit, *et Comites de Andechs, temporibus Friderici Aenobarbi Imp. et sub ingressum seculi duodecimi, erant potentes in Imperio Domini, qvandoqvidem Ducatum Carinthiae, cum vicinis dominiis, ut et Principalem Comitatum Tyrolim, cum magno terrarum tractu, per Boioariam, Franconiam, Palatinatum superiorem, et in Vogtlandia, possederunt, et oppidum istud Meran aedificarunt, et, procul dubio, tanqvam sedem,*

et aulam Apanagiorum, quos vocant, a suo ipsorum nomine denominarunt. Ab his oriundi fuerant Marchiones de Frobburg, sive Vobburg, Landgravii in Leuchtenburg, Comites de Chamm, et Sulzbach, in Palatinatu superiore, omnes iam pridem extincti. loc. adduct. Magis fidem excedere videtur, qvod idem Auctor, in Chronico suo, disserit. Ibi enim, Tyrolim, et Vogtlandiam coniungit, ac, utraqve unum eundemqve Ducatum extitisse, perscribit. Ita enim scribit: *Est autem oppidum Mare, (Teutonice dictum tunc Mehr) oppidulum Meran, inter Altenburgum, et Cygneam, quod Duces in Meran, et Comites de Andechs, forte seculo undecimo, ubi ex Tyroli, et Carinthia, propter longissimum terrarum, per Boioariam, Franconiam, et Palatinatum, tractum, in his regiones concesserunt, ad limites Misniae condiderunt, sibiqve cognomine fecerunt, et aliqvandiu insederunt. Hi Duces alioqvin antiqviorem sedem in Tyroli, et qvidem in Meran, habuerunt, unde nomen suum adepti, et Ducatus tandem, cum celebri illo terrarum tractu, tunc temporibus pariter Merania appellatus est.* H. H. P. II, L. III, C. 4. Deniqve aliam sententiam protrudit Chronici Cygnei Auctor, propter duplex oppidum eiusdem nominis, geminum Meraniae Ducatum commentus. Ita ille: *Anno, supra millenum, ducentesimum, septimo, Ducatus, aut Principatus, Meran, situs inter Misniam, Thuringiam, et Franconiam (a qvo adhuc nomen oppiduli Meran, duo millaria a Zvickavia distantis, superest) et exinde per Vogtlandiam, bonamqve Marchionatus partem, porrectus, ab Imperatore in certas Advocatias distributus est: inde etiam postea nomen suum perdidit, et Vogtlandia dicta est: eoqve etiam pertinuerunt oppida, Culmbacum, Plavia, Curia, aliaqve:* eiusqve rei testem Sethum Calvisium, in Chronologia, citat. Tum autem pergit: *Reperitur qvidem et aliud Meran, in Tyroli, ad Athesin, a quo oppido pariter Duces, aut Principes, nomen suum acce-*

acceperunt, quemadmodum Dominicus Custos, in Descriptione principali dignitate Comitum Tyrolensium, commeminit: sed et illi hanc provinciam possederunt, multoqve tempore tenuerunt: id qvod non modo disci potest ex allegato Auctoris illius scripto, verum etiam ex Cyriaci Spangenbergii Speculo Nobilium, P. I, ubi hoc modo infit: Meran, Ducatus ad Athesin, qvi hodie fere Comitatum Tyrolim comprehendit. Chron. Cygn. P. II. Restat, ut qvid animo nostro sedeat, edisseramus. Nobis autem primo videtur, Vogtlandiam propriam a nemine Meraniae Ducum rectam esse, sed Varisciam. Qvaecunqve enim Vogti ultimis retro temporibus habuerunt, ea pertinebant omnia ad Osterlandiam. Ea vero nunqvam pars Varisciae antiqvae, sed, beneficii titulo, Marchionibus olim Misniae obnoxia fuit, fuitqve ditionis Saxonicae. Qvam in sententiam vid. Becklerus ipse, H. H. P. II, L. III, C. 4. Licet vero oppidulum Meran in Vogtlandia qvondam situm fuerit, fuit tamen et aliud in regione Athesina. Iam hocce, nunqvam autem illud, Duces Meranii, qvippe Varisciae qvidem, non autem Vogtlandiae Domini, tenuerunt. Ergo secundo nobis videtur Ducatus Meraniae non fuisse alius, ac Comitatus hodiernus Tyrolensis. Argumento est Metropolis cognominis, a qva urbe non procul distat Tyrolis, principalis acropolis, qvae arx conseqvente tempore toti illi Comitatui, ac regioni Athesinae, nomen impertivit. Vid. ὁμόψηφος Generosissimus Dn. Valdenfelsius, Sel. Antiqvit. XII, 29.

IX. Verum ad munera progredimur, qvae ab natura accepit plaga nobilis. Aer, si qvisqvam alius, temperatus: aqva pariter salubris, cumprimis acidulae, qvarum magna passim vis scaturit.

Creditur aer tota Germania vix salutarior; aqva item, praesertim in regione Piniferi Montis. Maxime autem omnium Leucopolis urbs, propter et ventos salubres, et aqvas crystallinas, celebratur. Morbus inde rarior, nec facilis lues: contra hominum plurimi firmi, ac longaevi. Acidulas, dolendum, incultas et sqvalidas iacere. In his Stebenses sunt: his Stebenus pagus nomen fecit. Ebulliunt inter superiorem, et inferiorem, Stebenum pagum, qvartam milliaris partem a Thirbachio pago, dimidiam a Lichtenberga oppido, et ferme integrum milliare a Naila oppidulo: circundatae duabus ligneis aediculis, in qvarum superiore scaturiunt, ac potantur; inferiore autem inserviunt lotioni. Vid. Plurimum Rev. Dn. M. Io. Villii, Fautoris de nobis multo Meritissimi, Teutonicus Paradisus Pinifer MSC. P. IV, C. 5. Conf. de utilitate, et usu huius aqvae, longe Experientiss. Dn. Godofr. Stein, Med. D. Archiater Brandenburg. Baruthinus, in Stebocrene, qvi libellus in lucem prodiit A. CIↃ IↃC XC. Inprimis autem accurate aqvas hasce describit Reverendissimus Dn. Io. Georg. Layrizius, ad aedem Aulicam Baruthinam olim Diaconus, et Sacrae ac Civil. Histor. Profess. Publ. h. t. autem

autem Sacrorum in Aula Vinarienſi Praeſul Summe Venerandus, Maecenas Summus, in ſcripto egregio de Fontibus Soteriis in Illuſtri Principatu Superiori Burggraviatus Norici. *A pago*, inqvit, *Stebeno vix centum paſſibus, Africum verſus, ſitae ſunt acidulae, in prato plano ac viridi, qvod rivulus alluit, qvem omnis generis piſciculi, qvos gratiſſimo fert ſapore, praeter plura alia, quae habet, commoda, reddunt acceptisſimum. Ipſe fons, ex interioribus terrae meatibus ſcaturiens, purus, et pellucidus eſt, ſvaviſſimi ſaporis, praecipue in ipſa ſcaturigine, acidi aliqvid, et ferrei, vel ipſi lingvae communicans. Inventor, aut potius probator,* ut idem Vir Summus addit, *dicitur fuiſſe Ioachimus Kolbius, Med. D. et Archiater Comitum Ruthenorum, et Medicus Sleizenſis.* Idem ille Vir Maximus Egranis fere pares pronunciat. Idem porro ille Sclaradenes (edit. Rudolphoſtad. cIↃ IↃC XXCI) ſeu acidularum Egranarum Deſcriptionis Poeticae, Io. Chriſtoph. Treuneri, Poetae, meminit, haec ex illius notis verba adducens. *Fons Stebenſis, ad pagum Steben, ad ſecundum lapidem a Lichtenberga oppido, in Marchionatu Baireuthenſi ſitus, iam multos abhinc annos, ſaubres ſuas vires in varia loca diffudit. In certis corporum* πάθεσι *palmam Egranis non ſolum dubiam facit, ſed etiam praeripit.* Saepius laudatus Dn. Layrizius praeterea Kolbii Medici iſtud affert de acidulis iudicium: *Acidulae Stebenſes, qvantum ego deprehendi, continent plurimum ſpirituum ferri, nonnihil cupri, tum mineralium, plus nitri, ac vitrioli, qvam ſulphuris, ac ſalis. Auri qvoqve, et argenti, vires iis ſubeſſe aliqvas, arguit et virgulae iudicium, et ab expiratione aqvae ſuperficiei color, et tenuiſſima qvaedam quaſi lamina exiſtens. Vires harum acidularum perquam, et maxime ſpirituoſae ſunt.* De iisdem viribus Andreas Mackius, Med. D. idemqve Archiater Svarceburgicus Rudolphopolitanus, in literis, A. cIↃ IↃC

IↃC XXCII. die XXIV. Iun. ad amicum conſcriptis, ita: *Acidulae Stebenſes penitus naturae humanae ita congruunt, ut non modo nemini obſint, ſed et augendi, et nutriendi vires in ſe contineant, qvod plurium perſonarum teſtimonio non demonſtrare modo, ſed et illuſtrium Medicorum auctoritate confirmare habeo. Vnde has Stebenſes acidulas reliqvis omnibus merito praefero, ſiqvidem non in percelloſa, et tumultuoſa vi qvicqvam reſidet, ex qva multoties varia propullulare ſolent incommoda, qvod tamen de his metuendum neutiqvam eſt, ſed, ſi debito modo adhibeantur, viſcera ſenſim confortando, in naturalem tonum, et harmoniam perfectam, omni conamine reponunt.* Ut vertit, et adducit Patronus, cum ſummo iterum elogio nominandus, Dn. Layrizius. Operatio deniqve a Kolbio, eodem Praeſule referente, ſic deſcribitur, ut dicatur conſiſtere in eo, qvod omnes inferiores, et medii ventris obſtructiones, et exinde exortos, et exorituros morbos, avertat, ut in aperiendo praecaveant, leniter per alvum, magis vero per vias urinarias, et ſudores, inſenſibilemqve tranſpirationem, vitioſa educant, viſcera, et omnes corporis partes, mirum in modum alterent, corrigant, et confirment. Non poſſumus nobis temperare, qvin alias acidulas, verbis Viri Magnifici, deſcribamus. Ita vero ille, libello ſupra laudato: *Eſt locus Thirbachium verſus poſitus, vulgo, die Hoelle, qvem Selbiz fluviolus rigat, piſciculorum delicatiſſimorum feraciſſimus: ibi etiam ſunt acidulae praeſtantes, ſed non debite ab aqva fluviali et pluviali diſtinctae.* Poſt paulo haec habet de aliis: *Altero lapide à Stebena diſtat Geroldsgrunium pagus, ubi planities, dicta viretum longum (die lange Au) qvod inſignes acidulas aperit, ex dura, eaqve qvadrata petra, proſilientes. Ipſe fons pellucidus, purus, ab omni fece purgatus, ſaporis acrioris, qvi Martem ac chalybem, labris ſaltem primis guſtantibus, apertiſſime prodit, qva de*

cauſa

causa chalybis fons, der Stahlbronnen, longo iam tempore fuit insignitus. Crocus certe Martis in defluxu ad oculum patet. Hauritur et ipse pluribus, et magno emolumento valetudinis. Homines ibi annosiores, et in vicinia: rari male habentes, rariores decumbentes, rarissimi gravissimis morbis laborantes: rarae item mortes, et funera. Porro sic describit, ut dicat, *fontem ad montem situm esse, solumqve ibi, et aerem benignum: magnam utrinqve nemorum, et montium assurgentium vim: nec procul amniculum, qvo ligna aliorsum, et Francofurtum tandem Moeno devehantur.* Vltimus, qvem Auctor longe Celeberrimus dilaudat, fons est in tractu Bonsideliensi, vix semihorula distans a pago Koettingenbiberach. *Ibi*, ait, *fontem esse salutarem, tenore, sapore, valore, Egrano similem, quamvis non fama, nec cura. Vitam ibi locorum agi diuturniorem, multorumque morborum expertem.* Lumen dictis hisce affundit Plur. Rev. Dn. Villius, Teuton. Paradis. Pinif. P. III, C. 5. *In pagulo*, inqvit, *Steinas, proxime sylvam Salachianam adiacente, ebulliunt praestantes acidulae, sed multo praestantiores apud pagum Koetichenbibersbach, qvae eandem vim ac virtutem, ac Egranae apud Schleddam habere, tutius vero, qvam illae, usurpari, eo qvod mitiores leniaresqve sint, dicuntur. Non ita pridem fama valde celebratae casa lignea includebantur, ubi Matthias Hornicke, exul Bohemus, in Thirsheim agens, aegris suis nullas alias, qvam istas acidulas, commendaret. Physicus autem Ordinarius Egrae constitutus, cum loco sententiam mutabat, pauciqve postea acidularum potores ad Koetichenbibersbach, et Thirsheim, contendebant.* Idem Vir CL. duarum adhuc talium aqvarum meminit, P. IV, C. 6. *In medio*, inqvit, *Niderutho pago, inter Himmelreich pagulum, et Adorfium oppidulum, scaturiunt salubres, caementis scite septae, acidulae, eiusqve generis aliae, non procul inde, apud Elystram pagum, inter eum pagum, et fluvium Elystrum.* Concludimus tan-

dem hanc narratiunculam epiphonemate iterum honorificentissime appellandi Domini Layrizii. Illud vero hoc est: *totam illam regionem fontibus huiusmodi pluribus scatere, atque abundare.*

X. Tres celebriores fluvii: Egra, Sala, et Elyster. Amnes praeterea minores, et item rivi, prope innumeri. Omnes seu piscosi, seu auriferi. Princeps fluviorum Elyster, concharum ferax, qvae margaritas pretiosissimas proferunt.

Egra flumen, in Monte Pinifero natum, exiguam Varisciae partem irrigat. Nec enim, nisi Leucopolin oppidulum, Leutenam, Hohenbergamqve, vicos, praeterit. Inde Bohemiam perluit, ac, propter Leutomeritium oppidum, Albi miscetur. Illud mirabile, Egram stagnum, qvod ad Leucopolin est, citato cursu, medium permeare. Sala noster ex eodem monte oritur: hinc et Sala pinifer salutatur. Is Variſciam, Thuringiam, et Saxoniam, penetrat. Inde Variscus, inde Thuringicus, celebratur. Sunt autem plures Salae: unus Variscus, alius Franconicus, tertius Salzburgicus. Variscus oritur ex fonte Salae (Salbrunn) in sylva Monachomontana (qvae iugum septentrionale est Piniferi Montis) proxime viam, qva Leucopoli Cellam vicum itur. Inde pergit ad Svarcebacum vicū: inde

inde ad Superius Kozavium, itidem vicum: inde ad Curiam urbem. Cella, proxima nascenti Salae, sita a fonte Salbrunn qvadrantem milliaris: sed duo fere milliaria a Lacu Pinifero. Sala Franconicus, apud Eschelhornium pagum, in Moenum irruens, hunc navigabilem reddit. Sala Salzburgicus, infra metropolin Salburgum, in Salzam fl. influit. Vid. Dn. Villius, Teut. Parad. Pin. P. V, C. 1. Ad Variscum revertimur Salam. Hic a fonte suo usqve ad Curiam vehitur milliaria qvatuor: inde ad Salburgum qvinqve: inde ad Ziegenruckam duo. Tum, fines patrios linqvens, Salfeldam attingit, Thurinigiamqve peragratus, supra illustre Gymnasium Portense, in Misniam pergit: porro in Saxoniam, ubi, infra monasterium Gottesgenad, non procul Magdeburgo, inter Rosenbergam, et Barby, in Albim mittitur, postqvam cursu sinuoso milliaria qvadraginta tria confecit. Vid. idem ille Sacerdos Venerandus, l. d. P. ead. C. 6. Elyster pariter non unus: unus enim Lusaticus, alter Osterlandicus. Ille, cognomento niger, uno lapide a Vitemberga Saxonum, apud Elystram pagum, ab Albi sorbetur. Conf. Georg. Fabricii Chemnic. Origin. Illustriss. Stirp. Sax. L. II. Hic Varisciae flumen est, et ex sylva, qvae abietina, item picea, vocatur, provenit, non longe a Pulchro Monte, Piniferi iugo Montis. Primo omnium Himmelreich, et Elystram, pagos, asseqvitur: tum oppida, oppidulaqve, Adorsium, Olsnitium, Plaviam, Elystrobergam, Graizam, Geram, Neumarkium, salutat. His ex finibus, in Misnicorum terram fusus, Cizam, Pegaviamqve, pervenit, et, post milliarum viginti qvinqve iter, inter Martisburgum, et Halas, sub Besem pago, in Salam praecipitatur. Vid. Auctor saepe laudatus, Cap. 6. Iam minores fluvioli, itemqve rivi, paene in-

 nu-

numeri, commemorandi. Praecipuorum saltem numerum inibimus. Selbitium, post fluvios maiores, maximus, ex fonte Tationis emergit, sub radicibus Pyhl montis, qvi mons iugum est Piniferi, in septentrionem spectans. Decurrit primo ad Selbitium vicum, qvem medium perluit: exinde Nailam venit: tandem, apud molam Matthesii, in inferno, apud Planckensteinium pagum, inter Lobensteinium, et Lichtenbergam, oppida, Salae miscetur. Infernus autem profunda vallis est, intra duos altissimos montes protensa. Conf. Dn. Villius, C. 4. Veida novam, et veterem, urbem cognominem dividit, ad dimidium lapidem ab oppido, apud Viribergam pagum, in Elystrum se exonerat. Idem vero fluvius aurum vehit, Hungarico suppar. Auma alluit urbem similiter cognominem, et, proxime urbem Veidam, in Veidam fl. illabitur. Orila oritur ad qvadrantem milliaris a Triptitio oppidulo, apud piscinam qvandam, Neostadium inter, et pagum Rotham, in nemore. Neostadium ipsum, indeqve Vogtlandiam, derelinqvens, Oppurgum petit, oppidulum Illustrissimi Comitis, Domini IOANNIS ALBERTI, Comitis RONOVII et BIBERSTEINII: inde dilapsus apud Orlamundam, oppidum Thuringorum, Sala mergitur. Rosida, ortus ex fontibus Montis Nivei, et Fahrenleiten, in Egram fl. influit. Dn. Vill. P. III, C. 4. Cossein miscetur Rosidae, apud ustrinam ferream, qvae dicitur Krippnerhammer: defluit ex altissimo monte cognomini. Lamitium, profluens ex fonte cognomini, in valle cognomini, praeterfluit Kirchenlamitium vicum. Dn. Vill. P. V, C. 2. Incidit autem in Egram, supra Kirchenlamitium, apud Fattigam arcem. Goletium praeterfluit, aut influit, oppidula: Falkensteinium, Aurobacum, Lengen-

fe-

feldam ; urbem Reichenbacum ; vicos : Treyam, Mylam , Netſchkam : infra Graizam Elyſtro ſe coniungit. Ceterum Goletio aurum fertur conciliaſſe nomen, cuiusmodi arenas Goletium ducit. Viſenthalium partim oritur in ſylva Cameraria , indeqve fertur ad Rothenacker, Superius, et Inferius Koſchkavium, pagos, Muhldroffium oppidulum :partim in ſylva,qvae eſt ad Demeuſel pagum ; et hinc Muhldroffium pergit, ubi in ſtagno ex duobus alveis coaleſcit, iunctumqve Sleizam contendit, atqve, infra Burgum, cum Sala confunditur. Vetteravia decidit ex ſylva Cameraria, Thannamqve vicum praetervecta, Burgum proficiſcitur,ac,prope Salburgum, Salae iungitur. Hi fere fluvioli fuerunt : ſeqvuntur rivi memorabiliores. Praecipui autem hi ſunt: Superius, et Inferius Regnitium , Pulſenitium, Sveſnitium, Porſenitium, Lemnitium, Seiffenbach, rivus Tribeſienſis,et rivi Ziegenruckani. Regnitium Superius ex nemore profluit, tresqve pagos : Loſam Regnitianam , Vinſelitium, et Tauperlitium, praeterlapſum, Salam ingreditur. Regnitium Inferius ad Hartmanniruthum , praedium, oritur ; inde pagos : Trogenam, Feilitium, Zedevizium, qraetervectum, infra Kozavium Inferius, pagum, Salae ſociatur. Fontes utriusqve Regnitii ipſo paene milliari diſiuncti. Pulſenitium, ſub Monachorum Monte manat. Sveſnitium incipit in ſylva Rehavienſi, venit ad Rehavium vicum, et ,ad Superius Kozavium vicum, in Salam migrat. Porſenitium eundem vicum Rehavium praeterfluit. Lemnitium dimanat a pagis : Superiore,et Inferiore Lemnitio, venit Lobenſteinium, nec procul inde Sala ſubmergitur. Rivus Seiffenbach per partem ſuburbii Reichenbacenſis tranſit, ubi nomen accipit a Seiffen, i. e. a lo-

tione

tione arenarum auriferarum, qvas vehit. Nam extra urbem dicitur rivus Oberreichenbacensis, a pago, qvem interluit, proximo. Ceterum auri, ex arenis eliqvati, copiam fecit Consultiss. Dn. Daniel Veissenbornius, Praefectus Iudiciorum Metschianorum, Fautor noster Singularis. Graeslitium rivus, iisdem arenis dives, nomen capit, postqvam Graizam oppidum, qvod perluit, pervenit. Antea, a prato, qvod dimidio lapide ab urbe distat, ubi nascitur, Aubach appellatur. Supra Graizam cum Elystro se coniungit. Rivus Tribesiensis nomen tulit a pago cognomini, qvi pagus ditionis Sleizensis est. In eo autem rivo arena aurifera inest copiosa. Rivi Ziegenruckani truttas generant, easqve in Salam secum ferunt, qvi Sala et ibi esoces subministrat. Adhaec truttas et Orila, Lamitiumqve, amnes, procreant: alia piscium genera alii. Omnes vero laudes Elyster complectitur, fluminum princeps, ut qvi, praeter ceteras dotes, et conchas habet, magaritarum feraces. Margaritas, easdemqve praestantissimas, qvotannis magno numero maturas, suppeditat. Constituti in eam rem Olsnitii qvaesitores. Conchae longaevae, et vel in ducentos annos, et amplius, durant. Mortuae exundatione fluminis eiiciuntur. Capiuntur autem, quo tempore aqva cumprimis claret, mense Maio, Iunio, Iulio. Sed non omnes gignunt margaritas. Concharum enim foecundae aliae, aliae steriles. Neqve ubivis obviae. Captura ab Elystra pago incipit, Elystrobergae cessat. Itaqve per qvatuor, si autem sinuosum amnis iter respicis, per qvinqve milliaria continuatur. Lenta margaritarum incrementa. Minimae duodecim; mediocres viginti, aut triginta, maximae vel octoginta annos poscunt. Immaturae, coerulei coloris, maturae can-

candidi. In conchis plerisqve ſingulae, paucis binae, paucisſimis ternae, aut plures. In annos ſingulos magna ad maturitatem pars perducitur. Generatim de fluviis, rivisqve ſciendum, eam vim alere piſcium, qvam non omnis aqua: in his auratos, fundulos, barbos, cyprinos, angvillas, gobios, thymallos, cancros, rivalium aureolarum vix auditam alibi multitudinem.

XI. Reigo per ſe ſubhorrida, aſpera, deſerta, gelida: attamen incolarum induſtria et labore frugifera, probeqve culta. Vnde largior frumenti, tantusqve, qvantum uſus poſtulat, proventus.

Etſi Variſca terra, ut Germania in univerſum omnis, verticoſa eſt, aut ſylvis horrida, aut paludibus foeda, ut Tacitus auctor eſt, ſatis tamen qvoqve ferax eſt, ubereqve gleba ſe commendat. Sero qvidem coli coepit, atqve, ut affirmat Bruſchius (affirmat autem A. CIↃ IↃXLII), ante annos ducentos horrenda fuit ſolitudo: ceterum hodie ſic exculta eſt, ut facile parti Germaniae nulli concedat. Frumenti non tantum profert, qvantum vicinus, cumprimis Thuringicus, ager: tamen tantum, qvantum ſatis, eiusdemqve omne genus. Neqve enim ita purus ager, ut alibi, ſed multis in locis lapide qvaſi ſtratus: nec ita continuus, qvemadmodum alibi, ſed montibus interiectis, ac ſylvis, diſcretus. Qvicqvid huius ſit, qvo minus

minus arvorum, hoc (portenti simile) annonae, rerumqve aliarum, pretium vilius. Compertum id hac praecipue tempestate est, ubi, cum annonae pretia tota Germania creverint, in sola propemodum Varisciа, et panis, et zythus, et obsonia, qvam minimo venierunt. Qvamvis autem vitem humus non foveat, eam tamen inopiam et copia zythi, qvi undiqvaqve sapidus, saluberrimusqve coqvitur, et proxima Franconia, generosi vini ferax, abunde rependit. Ceterum agriculturam non parum res pecuaria iuvat. Videas illinc in sylvis, hinc in campis, pascuisqve, numerosa pecorum armenta, pecudumqve greges. Regio, pecorum vix capiens numerum, saepissime illa in Franconiam, Noricumqve, mittit. Conf. Dn. Villius, P. I, C. 7.

XII. Qvanto minus autem arvorum, tanto plus montium: in his Mons Pinifer, Germaniae altissimus, in multa divisus iuga, amplius milliaribus sex undiqvaqve in ambitu patens. Tametsi autem qvondam totus ad Nariscíam pertinuit, tamen hodie pars tantum Varisciae vindicatur. Idem ille mons, immensae lacu altitudinis memora-

morabilis, flumina qvatuor navigabilia: Moenum, Egram, Nabum, Salam, parit, et in qvatuor orbis terrarum plagas diffundit. Praeterea metallorum omne, perinde ut mineralium, genus comprehendit.

Mons Pinifer Valdenfelsio *Sudetorum pars* dicitur, et *montana Noriscorum supereminentissima.* Sel. Antiqv. XII, 35. Obscuri montes isti historicis, neqve id illis fraudi est. Nec Romani olim istas oras accesserant, et Pinifer Mons saltui Hercynio annumerabatur. Nam ille caput est eius sylvae, judicio Valdenfelsii, l. d. Petri tamen Albini iudicio, sylvae ramus, aut brachium. Chron. Misnic. P. I, Tit. I. Eidem scriptori mons appellatur Germaniae altissimus. ibid. Dictus autem a pinibus, qvibus sive consitus, sive circumseptus. Idem vero modo intelligitur haud uno. Primum enim, et propria qvidem notione, unicum, et illum qvidem denotat, qvi in montibus mediis excelsissime prominet, et in antiqvis monumentis, cum adiectione, Mons Altus Pinifer salutatur. Fastigium, in saxeum culmen coiens, nubes ferit. Ipsius montis moles, qva longitudinem, qva latitudinem, milliare patet. Profunditas à vertice summo descendit in Lacum, qvi et ipse Pinifer dicitur, in eodemqve, rupes inter, et saxa, in abyssum penetrat. Vertex autem ab longo tempore Caput Tauri (der Ochsenkopf) vocatur. Forte propter figuram montis, qvippe qvae bovem humi cubantem praefert. Inde

duo taurorum capita in summa rupe incisa. Deinde horrendam notat, et in complures montes, vallesqve, sylvas, saltusqve, diffusam sylvam. Altus enim Pinifer ille Mons vel centum aliis montibus, clivisq;, cinctus est, qvi non minus, ac ille, ingentibus pinibus, arboribusq; aliis, conferti. Tum Mons Pinifer accipitur pro omnibus illis montibus, partim horridis et sylvosis, partim cultis, fertilibusqve, qvos Theodorus, cognomento Primus, Dux Boiorum, Nariscis habitandos, excolendosqve dedit. Ea vero significatione Mons Pinifer non tam mons qvidam, qvam ingens terrarum tractus est; partimqve ad superiorem Palatinatum, partim ad superiorem Principatum Burggraviatus Norici, partim ad Egranam terram Regni Bohemici, partim ad Saxonicam, Ruthenicamqve Vogtlandiam, partim ad dioecesin Antistitis Bambergensis, partim ad liberam urbem Imperialem Norimbergam, spectat. Vid. a qvo haec mutuati sumus, Dn. Villius, Spectator ipse, P.I, C.3. Cum itaqve vastus sit huius montis ambitus, tum illum Casp. Bruschius arctis nimium limitibus circumscribit. Ait enim, montem illum, versus orientem solem, attingere Bohemiam; versus occidentem, Franconiam; versus meridiem, Palatinatum superiorem, et Boioariam; versus septentrionem, Vogtlandiam, et Thuringiam. Accuratius, more suo, definit Dn. Villius. Caput is enim Tauri in medio locat: inde lineam qvaqvaversum, milliaribus octo a Tauri Capite distantem, circumducit: tum, qva longitudinem, pariter et latitudinem, milliaria sexdecim exinde numerat: demum vero, universum ambitum continere milliaria qvadraginta octo, concludit. Vnum ceteroqvin milliare millibus passuum octo, sive hora, pariter et

horae tertia parte, aestimat. Vid. l. d. Dehinc hos limites assignat: orientem versus, Vonderae, et Egrae confluentes; meridiem versus, Nabi sylvestris et tesqvosi; versus occidentem, Moeni et Rodaci; versus septentriones, urbem Metropolitanam Salzburgum. ibid. Ceterum Piniferi patria Montis hoc versu apte continetur:

Nariscus Pinifer, Palatinus, Franco, Bohemus.

Vid. P. I, C. 4. Ad divisionem Montis Piniferi accedimus, qvi accurate dividitur in tria maiora iuga: qvorum unum appellatur Mons Altus Pinifer (der hohe Fichtelberg) alterum, Mons Niveus (der Schneeberg) tertium, Fahrenleiten. ibid. Haec altissima iuga qvasi Trifolium Piniferum formant, ac velut corpus ipsum Piniferi efficiunt Montis. Fahrenleiten ratione Montis Alti Piniferi in ortum spectat: ad meridiem duo altissima cornua levat, Heiersberg, et Plattam. Dn. Vill. P. III, C. 4. Mons Niveus mole, juxta et altitudine, Alto Monti Pinifero, proxime adiacenti, aeqvalis est. Versus ortum Solis duo saxea cornua extollit, nempe Rudolphosteinium, et Nushartum. Septentrionem inter, ortumque Solis, eminet Sternseherin, iugum celsissimum. P. III, C. 1. Sed iuga de iugis maioribus minora paulo intentiore mentis acie aspiciamus, in diversas emissa plagas. Qvae tametsi aegre numerari possunt, tamen qvaedam adducemus. Orientem versus sunt, exempli causa, haec: Luchsburgum, maior minorqve Hengstberg, Steinberg. Versus Austrum: Cossenus (Teutonice die hohe Cossein: hoc enim iugum cetera altitudine superat, et orientem, atqve occidentem versus, duo ingentia cornua saxea in nubes usqve exporrigit: unde, qvi a septentrione iugum spectant,

iſtud montem geminum vocant) Floez, Geiersberg, Grunberg, Hohemez, Platta, Rungberg, Scherfenberg; Svarzberg, Veidenberg, Veiſſenſtein. In occidentem verſus: Bocksleita, Goldberg, Guzenberg, Hirſchhorn, Luzelmain, Mainleite, Sauberg, Zauſche. Poſtremo, contra ſeptentriones: Broedingsberg, Epprechtſtein, Heidlesberg, Hoheheid, Kaltebug, maior et minor Kornberg, Loeſtenberg, Mittelberg, Roedlesberg, Valdſtein. Vid. Dn. Villius, P. I, C. 3. De Coſſeno ſeparatim, P. III, C. 5. Ceterum iſthaec montana olim omnia ſolam ad Variſciam pertinuerunt, ideo montana Nariſcorum dicta. Tota enim huic populo conceſſa habitanda. Poſtea vero, qvam diſcerpta in partes eſt Variſcia, factum eſt, ut montana planitiem ſeqverentur. Ideo Pinifer Mons partim ad Variſciam, partim ad Franconiam, partim ad ſuperiorem Palatinatum, partim ad Bohemiam, relatus. Ex Trifolio Pinifero Mons Altus Pinifer Franco eſt, ſigillatim ad Burggraviatus Norici Principatum ſuperiorem pertinet. Idem ille limes eſt Palatinatus, Franconiae, et Variſciae, immotus. Moenus enim naſcens Franconiam a Palatinatu, Variſciaqve, diſtingvit. Mons autem Niveus, et Fahrenleiten, iuga ſunt Variſca. In his eſt Lacus Pinifer, ex qvo Nabus profluens Palatinatum aperit. Fines Montis Piniferi, inter Variſciam Brandenburgicam, et Palatinatum, deſignati qvinqvaginta octo terminis, anno cIↄ Iↄ XXXVI, inde a Valtershofio, usqve ad Lacum Piniferum, et ab hoc usqve ad fontem, qvi hyemalis nominatur. Dn. Villius, P. I, C. 4. Iamqve hic campus datur diſſerendi de Lacu Pinifero (Fichtel-See) Memorabilis iſte Lacus viſitur, qvo loco Alti Montis Piniferi, Montis Nivei, et Fahrenleiten, radices coeunt, et iuga illa

con-

coniungunt, et loco editiore valde profundant vallem efficiunt. Est autem ortus ab undiqve et undiqve concurrentibus ex alto scaturiginibus. Distat qvartam milliaris partem a Neubau, pago Palatino, et integrum fere milliare a Bischofsgrunio, pago Brandenburgico, ubi dominiorum, Boiici, et Brandenburgici, limites cernuntur, et, distincti terminis triginta octo, Lacum ipsum permeant. Lacus ipse invisibilis, luteo musco, tanqvam tapetibus, stratus, ex paludibus constat. In medio eius est spatiolum perexiguum, cuius profundum est vastissimum, et prorsus inexploratum. Abyssus haec tota obducta est paludosa humo, eamque ob rem, aestivo praesertim tempore, inaccessa. Dn. Villius, P. I. C. 3, et 12. Revertimur ad Montem Piniferum, insignem partu qvatuor celebrium fluminum, qvae (miraculi simile!) ad qvatuor coeli cardines evomit. Continentur memoriali voce MENS, qva Moenus, Egra, Nabus, et Sala, exprimuntur. Egra, profluens contra orientem, Bohemiam circumfluit: Moenus occidentem petit, et in Franconia Rheno illabitur: Nabus, in meridiem tendens, mediumqve Palatinatum permeans, in Danubium infunditur: Sala, vergens in septentrionem, Albi absumitur. In his Egra, et Sala, ut supra docuimus, hodiernae sunt Varisciae. Nabus autem Palatinus est, Moenus Franco. Falsum autem, omnia ex Lacu cooriri. Oriuntur soli Moenus, ac Nabus: reliqvi paulum semotos fontes habent. Moenus, fluviorum maximus, longissimusqve, Franconiam percurrit, usqve ad Rhenum, fluviorum Germaniae Principem. Divisus est in Moenum album, et rubrum. Albus rursum in Piniferum, et Zigenfeldicum: qvorum ille dignitate superior. Ex ipso enim Lacu descendit, et ex eo qvidem rivulo, qvi

Moeni Albi rivulus dicitur, nomen cepit. Rivulus autem tum aliunde, tum inprimis a Capite Tauri, qvod diximus esse in Monte Alto Pinifero, in Lacum Moeni Albi (Weis-Mains-Weyher) decurrit. Porro Moenus ille, inter Altum Piniferum, Niveumqve Montem, in excelsa, ac nemorosa valle, progreditur, et primos inter pagos, Birnstengelium, et Bischofsgrunium, procedit. Inde Berneccum oppidulum assecutus ponte coniungitur. Vbi Culmbacum venit, in tres alveos abit: sed supra Culmbacum statim iterum unitur. Vid. Dn. Villius, P. II, C. I. Moenus Ruber, Albo mole et honore par, a fundo, a qvo saepe tingi dicitur, cognominatur. Emanat ex fonte, qvi salutatur Fons Moeni Rubri, dimidium milliare a Crusia, oppidulo pervetusto: in saltu Lindenhartensi, haud procul ab Hoernlinsrutho pago, et Lindenharto vico. Crusia oppidulo Baruthum migrat oppidum, Aula Serenissimorum Marchionum Brandenburgicorum, Arceqve magnifica, illustre: tandem Culmbacum urbem, Blassenburgo, castro munitissimo, exornatam: a qva urbe ad dimidium dilapsus lapidem, Moeno Albo iungitur, apud Steinhusium arcem. Vid. Auctor Venerandus, P. II, C. 7. Coniunctus uterqve Moenus, prope Moguntiam, in Rhenum sese effundit. Ceterum de thesauris fluvii Conradus Celtes ita canit:

Vnio cum gemmis Moeno reperitur in amne.

L. II Amor. Eleg. 3. Ad Egram divertimur, qvem Bruschius scaturire prodit apud Heidlasium pagum, in monte, Heida dicto. Sed eum CL. Villius redarguit, existimatque, Bruschium alteram fluvii accessionem pro fluvio ipso venditare: hunc enimvero fluvium altius repetere originem: oriri enim in Monte Niveo, eo loco, qvi dicatur Egerleiten, in la-

in latere montis septentriones spectante : ceterum ex pluribus densis scaturiginibus coire : primamqve omnium accessionem rivum esse Schoenlindium. Dn. Villius, P.III, C.1. Primo autem omnium Egra fl. Leucopolin oppidulum asseqvitur. Nabus, praecipuum Palatinatus superioris flumen, eum medium, qvaqva patet, penetrat, eundemqve peragratus, Danubio absorbetur, natus ad Piniferum Lacum. Qvae, et plura, disce ex Dn. Villio, P.IV, C.1. Inter Boioariam, et tractum Ratisbonensem, non procul a Prifenning Monasterio, in Danubio submergitur. De Sala, si qva dicenda sunt, diximus, ubi de Varisciae fluminibus diximus. Sed, anteqvam montana Variscorum relinqvamus, aliqvid de illorum opibus divitiisqve memoremus. Eae vero, nescimus qvo fato, hominibus externis, qvam indigenis, notiores sunt. Hinc vulgo iactatum in Germanos verbum :

Praestat saepe lapis, pecori iniectus, pecore ipso.

Est autem Mons Pinifer, teste Bruschio, cum tota subiecta regione, ferax auri, argenti, ferri, aliorumqve metallorum, ut, et sulphuris, et Mercurii, imo margaritarum, gemmarumqve. Obvii propterea saepe Rhaeti, Itali, Hispani. Hi, explorata montis, ac regionis natura, situ, opibus, magnos thesauros exportare dicuntur. Atqve memorat idem Bruschius, saepe repertos libellos esse, Italice, Gallice, Belgiceqve scriptos, indices furti. In iis enim loca consignata, arbores, rivulos, saxa, ubi aurum, gemmae, divitiae aliae, reperiantur. Descr. Mont. Pinif. Conf. Dn. Villius, P.I, C.7, et Albinus, P.11. Tit.10. qvi Albinus inter alia affirmat, se ipsum libellos huiusmodi aliqvot habuisse, item apud alios vidisse. Vidimus et nos aliqvem Vogtsbergae, et accepimus ab Ampliss. Dn. Adamo Raedelio, Rerum Metallicarum Magistro.

Lithar-

Lithargyron reperiri in Monte Pinifero, refert Albin, P. II, Tit. 14. Bolum Armenum, et ochram, in Kuzenreno monte: terram sigillatam apud Redevitium pagum: auriferum, argentiferumqve antimonium in fodina, qvae dicitur Rosa argentea, iuxta Auricoronacum. Dn. Villius, P. I, C. 8.

XIII. Cum in montibus, tum in planitie, freqvens sylva, et nemus. Hinc ligna incolis, similiter et finitimis: hinc ferarum antra, et avium nidi.

Sylvarum princeps, sylva Pinifera, montem universum cognominem vestit, pariter ac sepit. Mons totus cum aliis arboribus, tum praecipue pinibus, confertim amictus. Pinifera sylva, in plures divisa partes, ab his complura nomina conseqvitur. Eius generis sunt: sylva Schida, apud minorem Kornberg: non procul inde sylva Vntreu: sylva Leutenensis, ad Leutenam vicum: Selbensis, apud Selbam vicum; Rehaviensis, apud Rehavium vicum: Lindenhartensis, Salachiana, Valdenfelsiana, Cameraria, Sparneccìana, Monachomontana, Hospitalis, Saltus dives. Conf. Dn. Villius, P. I, C. 7. Praeter sylvam autem Piniferam dantur complures aliae minores. Talis, exempli causa, est Lichtenbergensis, Lobensteiniensis, Franconica, Landsgemein, qvæ sylva horrenda est, uno milliari ab Adorfio distans, tantundemqve ab Olsnitio; verum a Monte Pinifero milliaribus octo. Conf. Dn. Villius, l. d. item P. V, C. 6. Adhaec dantur: sylva Veidensis, Megalo-

galoebersdorfiensis, Sleizensis, Conroda, sylva Langenaviensis, sylva monialium, Aumensis, Stanaviensis, Streitvald, sylva Poelvitiana, Rheinsdorfiensis, et aliae plures. Sunt autem refertae pinibus, qvercubus, fagis, alnis, abietibus, taedis, populis nigris, platanis, betulis, iuniperis, qvarum iuniperorum magna ubivis copia, inprimis circa Curiam, Bonsideliam, Plaviam, Neostadium. Ceterum, Salae beneficio, ligna, ratesqve plurimae, tum ad usus domesticos; tum ad aedificandum, tum ad alios usus, exportantur, praecipue Halas Saxonum, qvae urbs ea merce peropportune in coqvendo sale uti solet. Vbiqve porro ferarum lustra et cubicula: oberrantes cervi, hinnuli, dorcades, apri, lepores, meles, vulpes, lynces, martes, viverrae, feles sylvestres, lutrae, lupi, ursi. Vid. Io. Christoph. Lauri, olim ad Aedem Aul. Baruth. Diac. et in Colleg. Christian Ernestino Hebr. et Gr. LL. Prof. Publ. Oratio de Burggraviatus Norici Principatu Superiore, ed. A. CIↃ IↃC LXXXI. item Dn. Villius, P. I, C. 7. Extremo de avibus subiungimus, permulta dari genera, videmurqve videre integros qvasi exercitus alaudarum, merularum, sturnorum, coturnicum, perdicum, attagenum, tetraonum maiorum, minorumve, phasianorum, palumbium, anatum, anserumqve sylvestrium, gallinaginum, turdorum maiorum, minorumve, qvi turdi, propter iuniperorum nemora, sapidiores carnes suppeditare dicuntur. Conf. iterum Lauri Oratio, et iterum Dn. Villius, l.d.

XIV. Nec terrae sinus dotes suas invidet, qvibus qvaqvaversum abundat.

dat. Omne hic metalli genus: hic marmor varium: hic et cryſtallus, ac gemma.

Habet Variſcia ſuas auri venas, et argenti meatus: habet metalli fodinas freqventes. Nullaqve eius pars eſt, ubi non conſpiciantur. Bonſideliae, et in pagis proximis, fuerunt, ſuntve, aurariae, argentariae, aerariae, ſtannariae, et ferrariae, inprimis duae ultimae. Exempli cauſa, fodina, S. Alberti, S. Kunigundae, Solatium divitum (Reichentroſt) Pulchra Suſanna. Vid. Venerandus Dn. Pertſchius, Origin. Vogtland. et Bonſidel. P. I, Cap. 17. Olim et fodina auraria in Monte Pinifero fuiſſe dicitur, ut teſtatur Albin. P. II, Tit. 16. Ferrariarum multae ſunt in Lichtenbergenſi, et Lobenſteinienſi, tractu. Sparneccii cupri fodina, et Stockenrothae argenti aedificata: illa A. CIↃ IↃ XXXV; haec CIↃ IↃ XCIII. Vid. Pl. Rev. Dn. Villius, P. V, C. I. Cumprimis nobiles ſunt Nailenſes aerariae, ferrariaeqve, exaedificatae A. CIↃ CCCC LXXVII, imperante Alberto Achille, Marchione, Principe Elect. Brandenb. Conf. Dn. Vill. C. 4. Fodina aluminis, eademqve inſignis haud pridem inſtituta eſt Reichenbaci, dimidio milliari ab oppido diſtans. Collis iſte ſatis amplus, ubi aes aluminis creſcit. Is, qvantus qvantus eſt, nil, niſi tale aes eſt. Refert etiam Albinus, tales eſſe Plaviae, et Lobenſteinii. Qvas nos qvidem ibi locorum non vidimus. Olſnitienſes fodinas coeptas eſſe A. CIↃ IↃ XVI, idem meminit ſcriptor, qvi et aurifodinam, dictam Steinheidam, Principes Saxoniae habuiſſe, ex Georgio Agricola, L. II. de vet. et nov. metall. refert. P. II,

Tit. 5.

Tit. 5. Idem porro cupri fodinae, qvae fuerit Gerae in Ostlandia; item fodinae alius, qvae fuerit in extremo, ut is ipse loqvitur, Voitlandiae, Sleizae, Lobensteinii, Nailae. Tit. 13. Olsnitii complures vidimus, easdemqve stanni: ceterae hodie incultae iacent. Plaviae autem sunt fodinae argenti, cupri, ferri: ad Graizam, in sylva Rheinsdorfiensi, fodina plumbi argento permixti: Aurobaci fodinae cupri et orichalci: ad Goessitium vicum, et Reizengesvendam pagum, qvae loca non procul a Zigenrucka distant, cupri fodinae. Qvae autem ante bellum tricesimale fuerunt circa Veidam, corruerunt. Ceterum nullum solum totius Vogtlandiae omni metallorum, mineraliumqve, genere ditius Veidensi creditur. Freqvens hic aes auri, argenti, cupri, ferri, aluminis. Adhaec multum sulphuris, multum lapidis fissilis nigri. In hoc argentum, perinde ac vitriolum, inest. Vidimus haec talia apud Pl. Rev. Dn. M. Danielem Francum, Fautorem optime de nobis meritum. Qvod reliqvum est, in ipso Monte Pinifero fodinae paucae. Olim autem multae fuerunt in iugo Fahrenleiten aurariae, argentariae, stannariae, plumbariae, ferrariae, aliae, inprimis in ramo eius Silberrange. Fuerunt et apud Svarcenbacum, et Holzgabelium, fluviolos; item apud Rothenbergam, alibiqve. Postqvam autem stannariae coeptae desinere; hodie nihil, nisi ferrum, in fodina Eilenloha, apud Sannetengrunium, et alibi, reperitur. Vnum hoc addimus, dari non modo in Varisciа fodinas metallicas, sed ustrinas etiam, et fabricas aerarias, ferrarias, easqve passim freqventes. Post fodinas lapicidinae memorandae: cumprimis marmoris. Marmoris candidissimi tantum Bonsideliae est, ut eam ob rem urbs Varisciae marmorea Dn. Villio salutetur, P. III,

C. 4 Bruſchius autem narrat, eam communi verbo dici urbem habentem marmoreos muros et portas. Murum coemiterii marmoreum, lapidesqve ſepulchrales ex marmore factos, vidimus. Lapis autem iſte, ignis violentia domitus, optimum parit caementorum ferrumen, qvod calcem vocare ſolemus. Hinc duae ibidem calcariae fornaces, ubi maxima calcis copia praeparatur. Habet haec Patronus Noſter, Dn. Pertſchius, P. I, C. 17. Dreſſendorfii, qvi pagus non procul Curia diſtat, marmor rubrum, atrum, candidumqve, in paſcuis, qva itur Rehavium, datur. Conf. Dn. Villius, P. V, C. 2. Varii item coloris marmor Svarcenbaci, qvod ad Salam iacet oppidulum. Vid. id. Dn. Villius, P. I, C. 8. Qvid autem marmore Plavienſi mirabilius? Cum enim per ſe praeſtans eſt, tum varietate coloris, venarumqve ſpectaculo, intuentes in admirationem vertit. Qvid? qvod Principum oculos faſcinat, ac in amorem rapit. Varium autem lapidis huius genus. Eſt enim marmor griſeum, venas habens candidas: fuſcum, habens venas candidas, ac virides: fuſcum pariter et album, habens venas candidas: rubrum, albas: deniqve atrum, venas eiusdem coloris. Omne aptum conficiendis tabulis, lapidibus ſepulchralibus, caminis, laqvearib9, rebus aliis. Nobile ceteroqvin lapicidina, recentisſimumqve inventum eſt Viri Conſultisſimi, Amplisſimiqve, Domini Chriſtiani Gvilelmi Graii, Domini Hereditarii Tallitii, Præfecti Plavienſis, Domini ac Patroni Noſtri maximopere Suſpiciendi. Ibidem incomparabilis lapidicina lapidis fisſilis, Poſſigiana dicta, eiusdem, qvem laudavimus, Patroni peculium. Tanta ceteroqvin lapidis huius durities, ut nullis ignibus rumpatur. In finibus etiam Miſniae, et Thuringiae, apud Raniſium oppidulum, non procul a Neoſtadio diſſitum,

tum, alabastrites foditur. Iam Leucopoli crystallus crescit copiosus. In cellis zythi, imo ubiqve eius regionis, invenitur. Qvid? qvod in ipso oppidulo lapidicina crystalli est. Conf. Dn. Villius, P. III. C. 1. Sed lapidum etiam nobilissimi, adamas et iaspis, adsunt. Est genus adamantis, qvod iuxta pagum Irfersgrunium, in patentibus campis, tum et in visceribus terrae, hinc illinc reperitur. Situs pagus est unum a Reichenbaco milliare, et a Plavia tria. Fecit gemmae copiam Consultiss. Vir, Dn. Godofredus Vildius, V. I. Licentiatus, idemqve Consul Plaviensis, Patronus Noster Singularis. Similiter adamantis genus Bayersdorfii, qvi pagus in media inter Graizam, et Cygneam, urbes, via iacet. Iaspis autem gemma ad Koeditium pagum, apud Goesseram fluviolum, offenditur.

XV. Mittimus, qvae naturae munere concessa sunt munera: Oppida nunc, et vicos, castella et asyla, Gymnasia deniqve, lustramus. Oppida maiora: Bonfidelia, Curia, Gera, Graiza, Lobensteinium, Monachorum Mons, Neostadium, Olsnitium, Plavia, Reichenbacum, Sleiza, Veida,

Mirabile, potuisse oram adeo montosam, adeo horridam, et desertam, adeo tesqvis inhospitalibus, sentibusqve

oppletam, in tantum habitari, ut tot oppidis, et vicis, non magis ornatam, qvam elatam, hodie videamus. Bonfidelia sita est propter Rosidam flumen, et montium Nariscorum radices, Bohemiam respicientes, duo milliaria a Monte Pinifero, ab Egra oppido tria, et a Curia totidem. Conf Christoph. Schleupneri, S. Theol. D. Topographia Superioris Burggraviatus Norici, et Dn. Villius, P. III, C. 4. Vendita arx Bonfideliensis, cum ditione universa, Burggravio Friderico, a fratribus: Eberhardo, Henrico, et Ludovico, Boxburgiis, anno, supra millesimum, trecentesimum, vicesimo primo. Vrbs condita a Friderico, anno, supra millesimum, trecentesimum, vicesimo octavo. Vid. Brulchius. Plura qvi volet de Bonfidelia, legat Magnif. Dn. Pertschii Origines Voitlandiae, et Celebris in hac Vrbis Bonfideliae, P. I. inde a Cap. 5. usqve ad finem eius partis; item tota P. II. Curiae inferius pietatem approbabimus. Gera, ut Dresserus ex aliorum sententia refert, dicta a Gera fl. a Viperto autem, Comite Groiziensi, condita circiter A. C. clↄ XXCVI, cum Iuttam, Bohemorum Regis filiam, uxorem duxit, et dotis loco praefecturas aliqvot accepit. de Vrb. Germ. De Gera ceteroqvin legi potest M. I. Casp. Zopfii Chronicon Ruthenicum Geraviense. Graiza, ad Elystrum fl. sita, collibusqve amoenissimis undiqvaqve cincta, arce magnifice extructa nobilis. Vrbs ceteroqvin pervetusta, Comitum Celsissimorum Ruthenorum sede, et nativitate Henrici VI. Summi apud Principem Elect. Saxonem Copiarum Ducis, pugna cum Turcis ad Zentam, A. clↄ Iↄc XCVII, fortiter conserta, famaqve rerum praeclare gestarum, Inclytissimi Herois, maximopere illustrata. Lobensteinium, ad Lemnitium rivum situm, in valle amoenissimo, Illustrissimorum Comitum

mitum Ruthenorum sedes. Distat a Curia milliaria tria, et septem ab Alto Monte Pinifero, versus septentriones. In colle urbis editiore supersunt rudera arcis veteris Lobensteinii. Monachorum Mons ad alterum lapidem a Curia distat, via regia, et proventu frugum, opportunus. Neostadium, qvod etiam, cum adiectione, ad Orilam, dicitur, a Gera oppido unum; a Iena, oppido Thuringiae, milliaria tria, situm est. Orila recens natus mediam urbem perluit. Olsnitium, ad Elystrum fluvium, ad lapidem unum a Plavia, et duos ab Adorfio distat. Dressero attestante, nomen Henetum est, ex qvo vetustas cognoscitur. de Vrb. Germ. Milliaria septem a Monte Pinifero abest. V. Dn. Villius, P. V, C. 6. Plavia, urbs elegans, alio nomine olim Plavena, item Glaucia, dicta, ad Elystrum fl. sita est, a Monte Pinifero milliaria octo distans. Conf. Dn. Villius, l. d. pluribus descripta a Munstero, Cosmogr. L. V. Reichenbacum, oppidum Varisciae opulentissimum, distat a Graiza milliare unum, a Plavia duo. Vrbs ipsa minima, sed suburbia amplissima. Incredibilis pannificum vis: commercia pannorum, et vinorum Franconicorum, florentissima. Vrbs peculium Generosissimi Domini, Dn. Adami Friderici Metschii, Eqvitis, et gloria Maiorum, et sua virtute doctrinaqve Splendidissimi, Maecenatis Nostri, ac Patroni Benignissimi. Sleiza ad Vilenthalium fluviolum situm est, oppidum elegans, ac vetustum, sede Comitum Celsissimorum Ruthenorum illustre. Veida, ad Veidam, Elystrumqve, fluvios, condita, ab interlabente, veteremqve urbem a nova dirimente, fluvio cognomini nomen cepit. Sita milliare unum a Gera, duo a Graiza. Conf. Dresserus, de Vrb. Germ.

XVI.

XVI. Oppida minora: Adorfium, Auma, Aurobacum, Berga, Elystroberga, Falckensteinium, Gefella, Helmbrechtum, Langenberga, Lengenfelda, Leucopolis, Lichtenberga, Naila, Muhldroffium, Neumarckium, Pausa, Rheavium, Salburgum, Schauensteinium, Triptitium, Schoeneccium, Selba, Verdavia, Zeulenroda, *Z*igenrucka. Vici: Aeremontum, Cella, Treya, Foerba, Goessitium, Harra, Hirsberga, Hohenberga, Kirchenlamitium, Leutena, Libengrunium, Monachobernsdorfium, Myla, Neokircha, Nezkavia, Preseccium, Ranisium, Sparnberga, Sparneccium, Svarcenbacum, Superius Kozavium, Thanna, Theuma, Thirsheimium, Thirsteinium, Valdenfelsium, Vurcebacum, Zollgrunium. Castella: Castrum

ſtrum Aliſonis, Hohenberga, Zigenruckum. Aſyla: Hohenbergenſe, et Lichtenbergenſe. Gymnaſia: Curianum, et Rutheneum.

Ex oppidis hiſce minoribus, vicisqve, qvaedam ſolum loca repetimus, memores, diſſertationem, non iuſtae molis volumen, condi. Adorſium, vetuſtiſſimum totius Vogtlandiae propriae oppidum, ad Elyſtrum fl. iacet. Olim Hagdorſium audiit, propter collem amoenum Hagberg, in qvo poſitum. Ceterum ab Olſnitio milliaria diſtat duo, a Montibus Piniferis ſex. Eſtqve ibi via regia, qva Egra itur Lipſiam. Helmbrechtum, ad fontes Selbitii fl. milliaribus a Curia duobus diſtans, ſitum. Lichtenberga milliare unum a Naila, duo a Curia diſſitum. Naila, ad Selbitium fl. poſita, venis, pariter ac fodinis, cupri, ferriqve nobilitata, ſeſqvimilliare a Curia diſtat. Neagora, vulgo Neumarkium, in confinio Vogtlandiae, Miſniaeqve ſita. Schauenſteinium, oppidulum vetuſtum, ad Selbitium fl. in colle amoeniore, iacet, milliaria a Montibus tria, ſeſqvi autem milliare a Curia remotum. Triptitium (Teutonice Triptis, vulgo Trips) ad ſecundum lapidem a Veida, unum autem a Gera, nec longius a Neapoli ad Orilam, poſitum eſt. Huius oppiduli ceteroqvin inſigne eſt aqva ſuper ſalice, in truncos tres inde a radicibus diviſa, penſilis. Schoeneccium in monte, ad fines Miſniae, et ſylvam vaſtiſſimam Landsgemein, lapidem unum ab Adorſio, pariter et Olsnitio, ſed circiter ſex a Piniferis Montibus. Veidavia milliaria tria a Gera, a Cygnea unum.

Zigenrucka a Neostadio unum. De Ronneburgo addimus, Fridericum, Landgravium Thuringiae, tanqvam Dominum feudi, A. cIↄ CCC LIX, dedisse diploma, ratione terrae, inter Dominos Ruthenos fratres dividendae. In eo diplomate mentio fit Ronneburgi, et VVerdae, tanqvam pertinentium ad Ruthenos. Sed postea Ronneburgum, ad alios Dominos translatum, nomen Vogtlandicum amisit. Verdavia autem Principi El. Saxoni hodie paret. Conf. Bekl. Ill. Stem. Ruthen. Acremontum vicus, Teutonice Arzberga, Bonfideliam inter, et Egram, oppida, ad Rosidam fl. situs, venis metallicis, iuxta et officinis, in qvibus fornaces e ferro cuduntur, satis clarus. Cella proxime fontem Salae est, qvi fluvius primum lambit hunc vicum. Kirchenlamitium venatione cumprimis clarum est. Leutena, ad Egram fl. a Leucopoli milliare unum, a Montibus duo distat, in nemoroso sita solo. Superius Kozavium, vulgo Oberkozavium, sede ac domicilio Serenissimi Marchionis Brandenburgici, Domini GEORGII ALBERTI, inclytum. Selbitium, a fl. cognomini, in vetus ac novum divisum. Castellorum Varisciae hodiernae tria cumprimis memorari merentur: Castrum Alisonis, Hohenberga, et Zigenruckum, qvae ad unum omnia fuerunt qvondam munitissima, hodie tamen sola Hohenberga pristinum decus, dignitatemqve, servat. Castrum Alisonis (qvasi Olnizburgum) alio nomine vulgo Vogtsberga dicitur, Olsnitio fere contiguum. Vogtsberga (i. e. Castrum Vogtorum) a Vogtis dicta: sed a qvibus, haudqvaqvam inter omnes convenit. A Druso Praefecto, Caesaris Augusti privigno, eodemqve Duce belli, dictum esse, in fabulis numerat, neqve iniuria, Matth. Dresserus, de Praecip. Germ. Vrbib. Assentimur: sed tamen illud, qvod

qvod ille tamen ibidem censet, ab Advocatis, seu Praetoribus, Romanorum Germanicorumqve Imperatorum, extructam esse, nos aeqve negamus. Idem ille, A. C. inqvit, cIↃ C XLIX, *nobilis, et liber Baro, seu, Dominus a VVeida, illic sedem et domicilium habuit, totiusqve regionis Advocatus extitit.* Id qvod pro vero ducere possumus, sed tamen eatenus, qvatenus Dominus ille Veidensis non constitutus, sed, titulo ultro ascito, Advocatus appellatus fuerit. Zigenruckum arx sita in colle satis edito, et opportuno, olim firma ac permunita, ipsaqve natura loci tuta: postea vero saepe infestata, ac diruta, vix rudera hodie ostentat. Vnum castrum Hohenberga nomen hodieqve tuetur. Terminus id regionis est, nec magis validis firmatum propugnaculis, qvam rara conspectus amoenitate iucundum. Idem non arte magis, qvam natura loci, permunitum. Nam in iugo Piniferi Montis peralto Kochrangio eminet, profundis fossis, validis muris, turribusqve circundatum, portaqve tuta, pontibusqve duobus pensilibus, instructum. Castrum deniqve munimentum est versus Bohemiam Burggraviatus Norici. Ad Asyla pergimus, qvorum duo dantur in Variscia, Imperatoria, Imperiiqve auctoritate constituta, insignibusqve privilegiis ornata. Vnum autem ipsius Hohenbergae est; alterum Lichtenbergae. Tutus utrobiqve refugii locus. Si qvis reus capitis, ibi receptum qvaerat, licet: ibi securus agat: ibi vitam metu procul, et periculo, ducat: ibi iras iudicis, sqvalorem carceris, defugiat: ibi liber, neqve ex vinculis, causam dicat, innocentiam probet, culpam deprecetur. Haud procul Hohenberga qvatuor hermae, Asyli indices. Super unam proiecto pileo, reus iudicis

K 2 manus

manus evadit. Id certum, si qvis fecit caedem imprudens, huc veniens, legesqve servare pollicitus, eum secure agere, dummodo ne hermas ultra prodeat, usqve ad litem compositam. Non tamen Asylum patet petulantibus reis, ac homicidis, contra qvos publica poenarum instrumenta erecta. Vid. Summe Venerandi Dn. Io. Georgii Layrizii, de Fontibus Soteriis, in Illustri Principatu Superiori Burggraviatus Norici, Dissertatio, et Rev. Maxime Dn. Villii Paradis. Pinif. P. III, C. 1. Restant Gymnasia: Curianum, et Rutheneum. Illud in vetere Variscia, ejusqve Metropoli, situm: hoc in Vogtlandia propria; idemqve hoc Celsissimus Comes Ruthenus, Dominus Henricus Posthumus, A. cIↄ Iↄc IIX, fundavit, et luculentis reditibus locupletavit. Vid. de hoc Gymnasio plura ap. Io. Casp. Zopfium, in Chronic. Ruthen. Gerav. P. I, C. 13. Praeterea complures aliae hinc inde literarum officinae; in qvibus praecipuae: Bonfideliensis, Graizensis, Lobensteiniensis, Neostadiensis, Plaviensis, Sleizensis.

XVII. Multorum ingenia, capessendis bonarum artium studiis apta, expoliuntur: multi, conditis ingenii monumentis, patriam aeternarunt.

Ingenium Variscorum, uti rebus omnibus, ita literis aptum. Si qva enim terra, haec profecto magna exempla suppeditavit. Difficile adeo reddere omnia; difficilius, dignis laudibus efferre. Qvare nec multa adducemus,

et

et illa breviter: cum et plurima memoriam fugiant, et cognita laudibus nostris maiora videantur. Illa qvidem curae erunt, qvae, conditis ingenii monumentis, patriam consecrarunt. Io. Henricus Bergerus, Geranus, IC. Inclytissimus, Potentiss. Regis Polon. et Principis El. Saxon. Consiliarius, Antecessor in Academ. nostrate longe Famigeratissimus, aliorumqve titulorum splendore Illustris, Maecenas Noster multo Benignissimus. M. Andr. Buttnerus, Geranus, Coetus patrii Archidiaconus, Theologus valde insignis. Paulus Cherlerus, Elystrobergensis, Sacerdos Binzeimensis in Marchia. Laurent. Codomannus, Curiensis, Theologus, Philosophus, et Poeta excellentissimus. Georg. Coelestinus, Plaviensis, Ecclesiae Coloniensis ad Svevum Praepositus, Theologus de Ecclesia Meritissimus. Ehrenfridus Durrius, Mylensis, Comitatus Mansfeldici Antistes Summus, nec Theologus minor. Georgius Samuel Doerfelius, Plaviensis, Theologus, Hebraeus, Mathematicus, non vulgaris, Ecclesiae Veidensis Sacerdos, et Dioeceseos Antistes. Paulus Dolscius, Plaviensis, Medicus Graece longe doctissimus. Casp. Dornavius, Zigenruckanus, Phil. et Med. D. Gymnasii Bethamensis Schenaigiani Siles. Prof. Ethic. Ducis Bregens. Consiliarius, et ad Polonos Orator. Io. Fikenscherius, Monachomontanus, Sereniss. Marchioni Brandenb. Baruth. a Consiliis Ecclesiast. et Gymnasii Christian Ernestini Ephorus, Patronus Summus. Christophorus Francus, Antistes Portensis, Theologus exqvisitissimus. Daniel Francus, Sacerdos Teuchovitiensis prope Veidam, Theologus Fratri geminus. Gvolfgangus Franzius, Plaviensis, Theologus et Professor Vitembergensis, luculentis ingenii monumentis de Ecclesia qvam maxime meritus.

rus. Io. Poersterus, Aurobacensis, Theologus, Professor, et Sacerdos Vitembergensis, de Ecclesia summe meritus: postea Professor Islebiensis, et Celsissimorum Comitum Mansfeldicorum summus Antistes. Io. Andreas Gleichius, Geranus, Sereniss. Principis El. Sax. Concionator Aulicus, Theologus Summus, Philologus Nobilissimus, Orator longe Eloqventissimus, aeternum Varisciae Ornamentum. Georgius Haendelius, Plaviensis, D. Theol. Consummatissimus, Sereniss. Marchioni Brandenb. Onoldino a Confessionib. et Concionib. Aulicis, item a Consiliis Ecclesiast. nec non totius Principatus Antistes Summus. Andreas Hassius, Graizensis, Mechanicus Incomparabilis. Io. Paulus Hebenstreit, Neostadiensis, Theologus, et Philosophus Ienensis longe Celeberrimus. Io. Fridericus Hekelius, Geranus, Polyhistor egregrius, nuper admodum in beatorum sedes translatus. Multa huius extant reconditae doctrinae opuscula: multa item ἀνέκδοτα supersunt: in his illud de Variscia Erudita et Curiosa, qvod inprimis edi optamus. Io. Horniceus, Plaviensis, Lycei Rigensis Rector, tum in Gymnasio Revaliensi Poes. Histor. et Eloqv. Professor Celeberr. Gvolfgangus Crugerus, Ruppersdorfiensis, Chronologus eximius. Io. Frid. Koeberus, Geranus, Philosophus, et Philologus Praestantissimus. Io. Christoph. Laurus, natus in Berg pago, primum Professor in Collegio Christian Ernestino, deinde Concionator Aulicus Baruthinus, tum Antistes Culmbacensis, Theologus multo doctissimus. Gvolfgangus Adamus Lauterbachius, Sleizensis, IC. et Antecessor Tubingensis Inclytissimus, Sereniss. Ducis VVurtenbergici Consiliarius sanctior, et Synedrii Stutgardiensis Director, propter elegantia iuris scripta in Orbe decantatissimus. Io. Georgius

gius Layrizius, Curienſis, primum P. P. Baruthinus; deinde Antiſtes Eccleſiae Neoſtadienſis ad Ayſſum; nunc Antiſtes Summus Ducatus Vinarienſis, Theologus Conſummatiſsimus. Io. Chriſtophorus Layrizius, Curienſis, Rector primum Gymnaſiii Patrii, tum Sacerdos Selbenſis, multo Doctiſſimus. Nicolaus Medlerus, Curienſis, S. Theol. D. Philoſophus excellens, Theologus doctiſſimus, prudentisſimus, piisſimus. Adamus Erdmannus Mirus, Adorfienſis, Gymnaſii Zittavienſis Prorector, Philologus excellentisſimus. Martinus Mirus, Veidenſis, ſummus Concionator Aulicus Dresdenſis, Theologus maximus. Daniel Mullerus, Theumenſis, illuſtris Gymnaſii Portenſis Rector, Polyhiſtor longe doctisſimus. Sigfridus Neumeiſterus, Reichenbacenſis, P. L. Prof. Philoſ. Roſtochienſis, item Theologus, primum Megapolitanus, deinde in patria, Vir poemate, et diſſertationibus, orbi literato notus. Andreas Pancratius, Bonſidelienſis, Antiſtes Curienſis, Theologus egregius, ſcriptisqve utilisſimis clarus, inprimis Methodo nova concionandi, qvae Pancratiana appellatur. Io. Peiskerus, Langenbergenſis, P. L. Caeſ. Lycei Vitemb. Oppidani Rector, et Societat. Teuton. Collega Celeberrimus. Io. Georgius Pertſchius, Monachomontanus, D. Theologus Conſummatisſimus, Sereniſſ. Marchioni Brandenb. Baruth. a Conſiliis Eccleſ. et Antiſtes Bonſidelienſis. Chriſtoph. Pezelius, Plavienſis, Theologus, et P. P. Vitemb. Vir doctisſim9. Gvolfgang. Chriſtophorus Raethelius, Svarcenbacenſis ad Salam, olim in Illuſtr. Collegio Chriſtian Erneſtino P. P. longe Celeberr. h. t. autem Antiſtes Neoſtadienſis ad Ayſſum, Theologus Excellentisſimus. Fridericus Rappoltus, Reichenbacenſis, Poeta, Philoſophus, Theologus Lipſienſis Famigeratisſim9. Io. Reiskius, Geran9, Re-

ctor Lycei Gvelpherbytani Celeberrimus. Ioannes Schardius, Helmbrechtanus, in Illustr. ChristianErnestino, qvondam Histor. et Mathem. P. P. longe Celeberrimus; deinde Concionator Aulicus Baruthinus; hodie Antistes Culmbacensis, Theologus Excellentissimus. Christophorus Schleupnerus, Curiensis, D. Theologus, et Orator edecumatus. Georgius Seidelius, Graizensis, Antistes Annaemontanus, Philosophus, et Theologus insignis. Valentinus Ambrosius Seydelius, Curiensis, Sereniss. Marchioni Brandenb. Baruth. a Confessionibus, et Concionibus Aulicis, nec non Sacri Consistorii Assessor, Theologus Eloqventissimus. Christophorus Sonntagius, Veidensis, Theologus, et Philologus Summus, Professor Altorfinus, et Antistes eius Ecclesiae longe Celebratissimus. Adamus Spenglerus, Neokirchensis, Gymnasii Berolinensis Rector, Philosophus eximius. Iosephus Fridericus Valdeccius, Nobilis Variscus, Dominus Hereditarius in Berg, Doebrastoecken, et Culmiz, Antistes Curiensis multo Vigilantissimus, Theologus Summus. Christophorus Philippus Valdenfelsius, Eqves longe Doctissimus. Fridericus Veissius, Geranus, D. et Professor Theologus Consummatissimus in Academia Iulia, idemqve Antistes Generalis. Io. Christophorus Veissius, Nailensis, olim Rector Curiani, hodie Pastor ad D. Laurentii in vetere Vrbe Curia longe Doctissimus. Iacobus Vellerus, Neokirchensis, primo in Acad. Vitemb. LL. OO. P. P. deinde ibidem D. et Prof. Theologus; tertio Ecclesiae Brunovicensis Adiutor, et Antistes; qvarto Sereniss. Principi El. Sax. a Concionibus Primariis, Confessionibus, et Consiliis Sacris, Vir tanti nominis, tantae eruditionis, tot in Ecclesiam universam, pariter et Remp. literariam meritis inclytus, ut eius laudes omnem,

vel

vel consummatissimam, eloqventiam superent longe, ac vincant. Aegidius Vildius, Reichenbacensis, Antistes Plaviensis, Theologus Summus. Io Villius, Svarcenbacensis, Diaconus ad D. Aegidii ap. Norimbergenses; deinde ad D Virginis, Theologus insignis. Io. Villius Neodorfiensis, Sacerdos Primar. Crusiensis, prope Baruthum Francorum, Theologus multo Doctissimus. Conradus Adamus, Vinckelmannus, Neokirchensis P. L. C. Lycei Oppidani Vitemb. Prorector longe Eruditissimus. Georg. Volckmarus, Lobensteiniensis, D. et Prof. Theologus Vitemb. longe Celeberrimus. Io. Casp. Zopfius, Geranus, Ecclesiae Patriae Antistes doctissimus.

XVIII. Fuit et homo rusticus, Nicolaus Smidius, qvi, operas inter rusticas, incredibilem lingvarum plurimarum, perinde ac optimarum scientiarum, cognitionem comparavit.

Iniqve Bruschius existimat, qvi, Variscos fere duro esse ingenio, et agresti, bello et laboribus aptiores, qvam ingenuis artibus excolendis, scriptum reliqvit. Qvem vel unus refutet Nicolaus Smidius, humani generis prodigium. Eo enim totius terrarum Orbis nihil fuit ad bonas artes perdiscendas aptius. Nam non modo sine Magistro ille profecit, sed qvoqve supra modum fere mortalium sapientissimorum. Qvodqve cum maxime miraculum auget, inter operas agrestes, qvas ad annum qvinqvasimum non

 dese-

deseruit. Vulgo ipsi nomen haesit Kunzelii, inde a Conrado avo. Pater autem fuit Martinus. Natus vero est Smidius in pago Rothenacker, qvi ditionis est Lobensteiniensis, A. CIↃ IↃC VI, undecimo Kal. Febr. A patre, inde ab ineunte aetate, ad rusticationem eruditus est. Annos natus sexdecim, a patris servulo elementa literarum didicit, pariter et legere Catechismum, atqve libellum Evangeliorum. A scriba autem cognato literas pingere doctus est, item viam ac rationem in Latini sermonis notitiam perveniendi, qvanqvam ingratiis patris: utplurimum clam, ac diebus festis. His rebus factum est, ut, cupiditate sciendi inflammatus, labore improbo, brevi lingvae eius, et, eiusdem ope, plus qvam ducentarum qvinqvaginta lingvarum, intelligentiam conseqveretur. Nam et Graecam calluit, et Hebraicam, et Chaldaicam, et Syriacam, et Arabicam, et Aethiopicam, et Abyssiniensem, et Indicam, et Armenicam, et Persicam, et Turcicam, et qvam plurimas alias. Summo enim studio libros earum lingvarum, cum aliunde, tum ex clarissimis bibliothecis, conqvisivit, velut ipse testatur in Kalendario, qvod A. CIↃ IↃC LV evulgavit. Ceterum tot lingvarum testimonia sunt scripta illa, qvae, auctoris manu exarata, etiamnum in bibliothecis, Dresdensi, et Gerana, supersunt. Adhaec animum ille ad artem Medicam applicavit, neqve minus ad Astrologiam, in qva tantos progressus fecit, ut non modo astrorum figuras accurate cognoscere et discernere, verum etiam planetarum motus intelligere, et supputare didicerit. Qvin et fastos condidit, primosqve Curiae Variscorum, A. CIↃ IↃC LIII, literis publicis describendos curavit: ceteros Augustae Noricorum: nec tantum in eos, qvos vivendo explevit, sed plures subseqventes annos, conscripsit, qvi post Viri obitum

itum in lucem publicam venerunt. Excellentis doctrinae merito apud Principes Electores, Duces, Principes, Comites, perqvam gratiosus fuit, magnis privilegiis, donisqve auctus. Vinariam accitus est, Slaccaverdam, indeqve Dresdam, ubi specimina ducentarum qvinqvaginta lingvarum in Bibliothecam Electoralem intulit, et florenis sexaginta, aliisqve muneribus, locupletatus est. Postea, in Aulam Celsissimi Comitis Gerani evocatus, totidem lingvarum documenta, manu sua scripta, Bibliothecae consecravit, ab Illustrissimo Comite clementer ditatus, et immunitate donatus. Vid. unde isthaec excerpsimus, Oratio funebris, Norimbergae formis expressa, cuius haec est inscriptio:

Heilsame Wissenschaft /
Welche bestehet
In Erkentniß der Liebe / damit uns JEsus entgegen gegangen / und in Erkentniß der Liebe / damit wir JEsum hinwieder umfangen.
Aus dem 19 Vers des 3. Cap. der Epist. an die Epheser:
Christum lieb haben ist viel besser / denn alles wissen /
Als
Der Weiland Ehrenveste / Vorachtbare / und Weitberühmte
Herr Nicolaus Schmid / sonst Küntzel / oder der gelehrte Bauer genant /
Von Rothen-Acker / des edlen Gestirns / und anderer rühmlichen Künste Lobwürdiger Liebhaber /

Am 28. Tag des Brachmonats / im abgewichenen 1671. Jahr / auf dem Gottes-Acker zu Mislareuth in seine Grabes-Gruft Christ-gebührlich versencket wurde / da derselbe zuvorher / am 26. gedachten Monats / sanft und selig dieses zeitliche gesegnet /
Auf das einfältigste gezeiget / und / nach oft wiederholten Begehren / zum Druck ausgehändiget
von
Valentino Müllern / der Zeit Caplan zum Gefell.

Gedruckt im Jahr 1672.

Conf. Dn. Villius, P. V, C. 3. et Io. Saubertus, Hist. Biblioth. Nor. edit. A. CIↃ IↃC XCIII, ubi haec. *Intervenit ex Nariscorum agris Rusticus ille, qvi in Ebraeorum lingva, et eius dialectis, non ὀψιμαθής est, sed adstivam, et inter labores villicanos, ex fundamento tamen eas didicit, ut Ebraica, Syriaca, Arabica, Chaldaica, legat, scribat, intelligat: qui, incertum, an magis librorum nostrorum copiam, qvam nos ingenium ipsius, et tam vile hospitium animae elegantis, mirati simus. Certe dignum iudicamus, qvi ab aratro, si non ad Dictaturam, cum Romano illo, in scholam tamen publicam evocaretur.* De eruditis autem Variscis conf. universe B. Io. Frid. Hekelii Variscia Erudita et Curiosa, scriptum ἀνέκδοτον, necdum nobis visum. Compon. item Io. Frid. Koeberi, Schediasma de Variscis eruditis, iis praecipue, qvi scriptis inclaruerunt, qva invitat Auditores ad Orationem, agentem de Variscia, Valedictoriam Henr. Eliae Hundertmarckii, Lobensteiniensis, hodie D. Med. Famigeratissimi, ed. ipsis Idib. Octobr. A. O. R. CIↃ IↃC LXXXIX.

XIX.

XIX. Alii opificia tractant: nonnullis mercatura in deliciis est: reliqui agros colunt,

Cum omnis generis opificia florent, tum praecipue, qvae circa lina, lanas, gossypium, sericum, versantur. Plavia subtiliora lintea conficit: Curia, et Reichenbacum, pannos texunt: alibi ex gossypio pepla: alibi ex tramoserico, atrebatico, pseudoserico, heromallo, linteamenta subtilissima parantur. Omnia cum alio, tum maxime Lipsiam, Francofurtum ad Moenum, Ratisbonam, magno numero a mercatoribus exportantur. Peropportuna commerciis emporia: Curia, Gera, et Reichenbacum. Agricultura autem, si usqvam alibi, hic profecto exercetur. Videamus, licet, in hac plaga, qvasi lapides labore improbo in panes verti. Cum enim agri plerisqve in locis lapide velut consiti, tectiqve sint, tum incolarum industria laetissimas segetes, omniaqve frumentorum genera ferunt. Praeter sylvas, videamus omnia eleganter culta, ac vel segetibus, vel hortis, vel urbibus, vicis, pagis, convestita. Qvod eo magis admiratione dignum, qvia universa haec ora nemorosa olim, ac tesqvis obsita fuit. Nec modo cultum regionis incolae custodiunt, sed amplificare student, caedendisqve lignis nemora, qvibus abundant, in arva commutant.

XX. Ceterum populus, si qvisqvam alius, pius, fortis, sincerus, comis, offi-

 ciosus,

ciosus, frugalis, hospitalis. Si libet inspicere corporis habitum, et formam: robur corporum, status procerus, ac decorus, facies virilis, in fronte gravitas, et candor.

Si populus qvisqvam alius bene compositis moribus, hic certe est. Bruschius pium, fidum, comem, praedicat; Io. Christoph. Laurus candidum, humanum, officiosum, sincerum; Nicol. Oelschlegelius, Lobensteiniensis (Orat. ad Voitlandos populares scripta) pium, superioribus honorem, et reverentiam habentem, animos gerentem in fronte, beneficum, cautum, et circumspectum, hospitalem, ac peregrinorum reverentem. His ornamentis accedit fortitudo, qvam cum Taciti testimonium, tum res ipsa probat. Ita vero ille: *Praecipua Marcomannorum gloria, viresqve, atqve ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta. Nec Narisci, Qvadive, degenerant.* de German. C. XLII. Super qvae verba velut commentarium scripsit Augustus Buchnerus noster, in panegyrico, qvem Illustrissimo Friderico Metschio dixit. Atqve adeo operae pretium fuerit summum audire Oratorem. *Patriam itaqve noster*, inqvit, *Narisci veterum, sive, ut appellari hodie, non tamen ignoto plane antiqvis vocabulo, solent, Varisci dederunt. Inclyta gens, et Graecis Romanisqve ingeniis celebrata. Cuius qui vigor, qvae virtus fuerit, hinc disci potest, quod Tacitus, eloqventiae fideiqve praeclarus, nihil degenerare Marcomannorum gloria scribit, qvos nulla Germanorum gens excellentia rerum gestarum, et opum imperiiqve am-*

plitu-

plitudine supra fuit. Hi enim Marcomanni illi sunt, qvi Gallis Helvetiisqve ademerunt sedes, qvi Galliam omnem Celticam prope subegerunt armis: mox, recedentes interius, fertilissimos illos Hercyniae campos, depulsis Boiis, gente Gallica, qvi occupaverant hactenus, et ab se Bojohemum loco fecerant nomen, insederunt, omnesqve finitimos aut domuerunt bello, aut conditionibus iuris sui fecerunt: eo progressi magnitudinis deniqve, ut, aemuli velut victori gentium populo, iustum timorem Romanis iniecerint. His non degenerasse Nariscos, cum prodit Tacitus, qvam laudem illis, qvod decus impertit? Hucusqve Buchnerus. Neqve vero tantummodo olim fuerunt fortes, sed in bellis etiam recentioribus. Bella enim multa gesserunt cum Norimbergensibus, et vicinis, Duce Alberto, Germanico Alcibiade. In bello praesertim Svecorum, adversus Polonos gesto, irruptionibus tribus prioribus, in pugna illa Varsoviensi acerrima, contra crudelissimos Tartaros proelii initium facientes, virtutem suam satis ostenderunt. Hinc Gustavus Adolphus, Svecorum Rex, de illorum animositate, constantiaqve, pronunciasse fertur: *malle se Voitlandis, propter strenuam, et indefessam fortitudinem, dupla prorogare stipendia, qvam aliis simplicia.* Conf. Valdenfelsius, Monument. Hist. De forma autem et habitu corporis Io. Christoph. Laurus, Orat. de Burggraviat. Nor. Principatu Super. supra adducta. Verbo: pietas in Deum sine fuco: amor in Patriam singularis: pro aris, focisqve animus praesens: erga Magistratus obseqvium: fides antiqva: comis severitas: candor sine exemplo: frugalitas sine luxu: liberalitas incomparabilis: deniqve hospitalitas maxima: hae propriae Variscorum virtutes. Nec scribimus incomperta.

XXI. Nunc necesse est, ut, qvibus

olim

olim Dominis paruerint, qvibus pariter hodie subiecti sint, dispiciamus. Imperitarunt iis qvondam primo Boioariae Duces, deinde Saxones, tum Marchiones Vogburgii, deniqve Comites Andecenses, iidemqve Meraniae Duces. Hodie tribus Dominis Varisci parent: Ducibus Saxonibus, Marchionibus Brandenburgicis, Comitibus Ruthenis. Indeqve Variscia divisa est in Saxonicam, Brandenburgicam, Ruthenicam.

A qvibus initio Variscia recta sit, res intricata. Attamen, qvoad eius fieri poterit, extricabimus. Pleriqve putant, dubium, qvibus, supra Duces Andechisios, paruerint Varisci. Sed tamen qvosdam memorabimus. Theuto, qvi et Theodo, i. e. Theodorus, dicitur, primus Norici et Boioariae Dux fuit Christianus. Is octogenarius, A. C. ɪↄc xɪɪ, ad sacra Christianorum conversus, et a S. Ruperto Ratisbonae sacro fonte tinctus. Idem Norgoviae, ultra Danubium, versus septentrionem, et, ultra montes Sudetos, ad Voitlandiam pertingentis, aspera, et inhospitalia loca latius coli, et habitari voluit. Dedit autem ea Nariscis. V. Valdenfelsius, Antiqv. xɪɪ, 19. Enochus tamen Videmannus

mannus ait, Vartbrechtum, Regem Francorum, imperante M. Antonino Vero Philosopho, Voitlandiam tenuisse, et Voitlandos, foedere cum vicinis inito, Romanos valde afflixisse. Ab eo autem tempore, usqve ad Arnulphum Imperatorem, nullam Voitlandorum mentionem fieri. Verum id sine dubio de Variscis, veterem adhuc sedem tenentibus, accipiendum. Theodoro qvi aliqvandiu successerint, non constare putat Valdenfelsius, l. d. Primum autem nominat Arnulphum Imperatorem, Carolomanni, Regis Boioariae, filium. Aventinus autem duas stirpes priscorum Vogtlandiae Principum ponit. Ex priore solos, Ernestum aliqvem, et Rudolphum, tanqvam ultimos, recenset. Hos Ludovicum II, et III, Boioariae Reges, adversus Bohemorum excursationes, fideliter adiuvisse. Alteram prosapiam auspicatur a Berchtoldi, antiqvi Boioariae Ducis, filio, Henrico. Illius familiae hos Principes prodit: Henricum, Berchtoldum, Arnolphum nepotem, et Henricum pronepotem. His subiungit tres Theobaldos. Post hos defecisse nobile stemma, A. C. cIↄ cc x. Conf. Valdenfelsius, Monum. Hist. Sed enim plures, qvam binae, fuerunt priscorum Varisciae Principum stirpes. Tribus fere post Theodorum seculis, Arnulphus, Carolomanni filius, Rex Boioariae, Dux Carinthiae, et R. I. Vicarius, Vogtlandiae Dominus fuit. Idemqve Imperator electus est, A. ıↄccc xxcvıı, obiit ıↄcccc. Vid. Valdenfelsf. Antiq. XII, 30. Conf. Videmannus. Eius filii: legitimus, Ludovicus ıv, et naturalis, Ratholdus. Ludovicus IV, cognomento Bavarus, Imperator Romanorum, Rex item, ac Dux Boioariae. Idem vero et Vogtlandiae Dominus: idem porro, ultimus Carolomannicae legitimae familiae, moritur A. ıↄcccc xıı. Succedit Ar-

 nol-

noldus, Dux Boioariae, ac Dominus Vogtlandiae factus. Fuit is Leopoldi, Ducis ignoti, in Hungaria occisi, filius. Obiit A. ꟾↃCCCC XXXVII. Bertholdus filius, Dux Boioariae, et Dominus Vogtlandiae, moritur ἄπαις, A. ꟾↃCCCC XLVIII. Succedit Iuditha soror. Ea Henrico, cognomento Contentioso, nubit. Fuit is Henrici Aucupis, Ducis Sax. filius. Huic Iuditha Ducatum Boioariae, cum Vogtlandia, aliisqve ditionibus, dotis loco affert. Moriuntur utriqve ꟾↃCCCC LV. Vid. Valdenfelsius, Antiqv. l. d. Aliqvo tempore interiecto, secundum Gvolfg. Lazium, de Gent. Migrat. VII. regnavit Berchtoldus I, Vogtlandiae Princeps, et regnare coepit A. CIↃ X. Seqvitur Eberhardus I, qvi sub Henrico III floruit. Huius fortasse frater, vel filius, fuit Arnolphus, qvem annales ferunt submersum Nabo flumine, A. CIↃ XLIX. Succedit Hermannus, idemqve primus Marchio de Vogburg. Conf. Valdenfelf. Monum. Qvantum autem ad Marchiones Vogburgios attinet, idem ille Valdenfelsius ait, *antiqvos Norgoviae, et Vogtlandiae Principes, Comites de Cambo, Neumarck, et Bergel, Principibus Boioariae, ad tuendos limites, adiunctos fuisse. Ideo et sedem prope Danubium, infra Ingolstadium, nempe Vogburgum, obtinuisse.* Antiqv. XII, 30. Post Hermannum, teste eodem, qvem diximus, Lazio, secutus est Berchtoldus II, Marchio Vogtlandiae, Princeps literatissimus. Hinc Theobaldus I, incentor rebellionis Henrici V, adversus Henricum IV, patrem. Reliqvit filiam egregiam, Friderici Aenobarbi, Imperatoris, Coniugem. Theobaldus II. Ludovicus frater. Theobaldus III. Berchtoldus III. Berchtoldus IV. Eberhardus III, Marchio Vogburgensis, Comes de Berg, Cambo, et Neumarcht, Princeps Vogtlandiae. Gottfridus. Conradus, filius, stirpis suae postremus. Qvanqvam sunt,

ſunt, qvi duos poſtremos a Vogburgenſium familia excludunt. Vid. Laz. VII; et, poſt eum, Valdenfelſ. Monum. Hiſt. Sed redeamus ad Arnolphi Imp. poſteros, ad qvos Vogtlandiae poſſeſſio, velut poſtliminio rediit. Illi Comites Andecenſes, et Duces Meraniae, fuerunt. Rem hanc paulo altius repetamus. Arnulphus, ut ſupra docuimus, filium naturalem ſuſcepit Ratholdum. Hunc Comitem Ardechſiae et Dyſſen conſtituit, A. IↃ CCCC. Huius filius fuit Rapotus, ſive, ſecundum alios, Raupotus. Filius, Fridericus I. Filius, Fridericus II. Vid. Valdenfelſ. Antiqv. XII, 31. Friderici filius, Leopoldus. Huius filius, Arnolphus, qvi obiit CIↃ XXC. Huius fil. Bertholdus I, qvi, religioſus factus, obiit in Monaſterio Dyſſenenſi CIↃ C XV. Huius fil. Bertholdus II, Marchio Iſtriae, et Princeps Dalmatiae, Comes ab Andechs. Obiit circiter an. CIↃ C XXX. Ceterum Princeps Dalmatiae a Friderico Aenobarbo creatus. Huius fil. Bertholdus III, Dux Meraniae, ac Vogtlandiae, Marchio Iſtriae, Princeps Dalmatiae, Comes Andechſiae. Hic primus Comitum Andechſiae Meraniam, et Vogtlandiam, a Friderico Aenobarbo, titulo Ducatuum, accepit. Qvanqvam Videmannus illud Bertholdo IV contigiſſe ſcribat. Obiit A. CIↃ C XXCVIII. Filius, Bertholdus IV, Dux Meraniae, et Vogtlandiae, Marchio Iſtriae, Princeps Dalmatiae, Comes Andechſiae. Hunc vero primum Videmannus refert a Friderico I. Imp. et qvidem vivo adhuc patre, propter magna officia in Italia praeſtita, Ducem Meraniae ad Atheſin, iuxta et Vogtlandiae, creatum eſſe. Eundem Bertholdum, una cum Friderico Imp. in Aſia adverſus Turcas pugnaſſe, A. CIↃ C XXCIX, et anno eodem Ducem Dalmatiae conſtitutum eſſe. Succedit filius Otto I, cognomento Magnus, Dux Meraniae, et Vogtlandiae,

Marchio Istriae, Princeps Dalmatiae, Comes Palatinus Burgundiae superioris, Comes ab Andechs, et Dyssen. Accipit autem Comitatum Burgundiae a Beatrice, Comite Burgunda, post mortem patris, CIƆ CC XVIII. Diem obit A. CIƆ CC XXXIV. Otto Secundus, qvi et Iunior appellatur, habuit qvatuor sorores. Fuerunt illae: Agnes, Elisabetha, Beatrix, et Margaretha. Prima, pluribus nupta, ἄπαις decedit: altera nubit Friderico, Comiti Hohenzollerano, A. CIƆ CC XLVI, qvi Burggravius Norimbergensis factus CIƆ CC LXXIII. Idem dotis loco magnam partem Vogtlandiae, Baruthum, Cadelsburgum, Crusiam, ditionesqve alias, accipit. Huius Burggravii filius, natu minimus, Albertus, ducta uxore Ottonis, Comitis Orlamundani, vidua, dotis loco conseqvitur, qvicqvid in Vogtlandia Comites Orlamundani habuerant, excepta Curia, iam tum empta ab Henrico, Advocato Veidensi. Sed, Alberto sine liberis mortuo, ea terrae portio ad Comites Orlamundanos, ut iustos heredes, redit. Beatrix nubit Ottoni, Praepotenti Comiti Orlamundano in Thuringia. Haec pariter dotis loco aliqvam Vogtlandiae partem marito affert. Sed ambae stirpes, Merania, et Orlamundana, progressu temporis extinctae sunt. Otto qvidem Iunior, ultimus Ducum Meraniae, Comitumqve Andechsiorum, qvorum Conditor Arnulphus fuit Imp. occumbit, A. CIƆ CC XLVIII. Interimitur autem ab Hagero, nobili cliente, in Castro Blassenburgo. Relinqvit duas filias: Aloysam, Hugonis, Comitis Mantisconensis, uxorem; et Anonymam, posthumam. Iam, Ottone sublato, ditiones mirae discerptae. Gener retinet tractum Burgundiae superioris. Comitatus Tyrolensis, terram inter Athesin, et Oenum, occupatur ab Alberto, Comite Tyrolensi,

lensi, et Menardo, Comite Gorizensi. Huius enim pater, Meinardus, duxerat uxorem Mathildam, Bertholdi III, Meraniae Ducis, filiam. Bavari rapiunt oras alpibus subditas, et omnes pariter plagas, Boioaricis limitibus inclusas. Istriae, Dalmatiae, Foroiulii, et Marcae Trevisanae pars, ducibus Carinthiae, et inde porro Archiducibus Austriae, accedit. De reliqva Istria, et Dalmatia, qva maximam partem, de Ducatu item Meraniae, Veneti cum Bela, Pannoniae Rege, Andreae Regis filio, certant. Nam Gertrudis, mater Belae, fuerat Dux Meraniae, et Bertholdi IV filia. Terra Baruthina, vicinaqve Vogtlandia, cessit Burggraviis Norimbergensibus, postea Marchionibus Brandenburgicis factis. Reliqva autem Vogtlandia Comitibus Orlamundanis, et subinde, emptionis iure, Marchionibus illis Brandenburgicis obvenit. Feuda Franconica, Andechisiae stirpi propria, Henricus, Antistes Bambergensis, et Hermannus, Antistes Herbipolitanus, apprehendunt. Vid. Videmannus, et Valdenfelsius: ille in Annalibus; hic Sel. Antiqv. XII, 31. Conf. 30. fin.

XXII. Celsissimi Comites Rutheni, a Comitibus Osterodanis orti, primum Comites de Glisberg, deinde Vogti de Veida, tum Domini, postremo vicissim Comites appellati sunt. Nomen Henricorum, propter Henricum, Cognatum, Carinthiae Ducem, posteaqve Imperatorum Roma-

 no-

norum, aſſumptum, perpetuo durat: nomen Ruthenorum, ut fama, ab Ruſſis ortum. Fuerunt Rutheni, ſuntqve hodie, Domini partis eius Oſterlandiae, qvae ab ipſis nomen Vogtlandiae ſortita eſt. Dynaſtiae Vogtlandicae ſunt: Graiza, Gera, Sleiza, Lobenſteinium. Totidem antiqviſſimae Illuſtrisſimorum Comitum ſedes. Ceterum, S. R. Imp. Clientes, Auguſtiſſimum Imperatoratorem Romanorum, qva Regem Bohemiae, clientelarum Dominum recognoſcunt.

Illuſtriſſimos, Celſiſſimosqve Comites ex nobilisſima proſapia veteranorum Romanorum progenitos, diploma Friderici Imperatoris affirmat, datum e portu Naonis, A. CIↃ CC XXXII. Vid. qvo nemo rectius Domum Illuſtriſſimam deſcripſit, Petrus Beklerus, in Illuſtri Stemmate Ruthenico. At idem tamen ſcriptor prognatos prodit ſangvine antiqviſſimorum Comitum Oſterodenſium, in Ducatu Grubenhagenſi. Vixit qvidam Eckebrechtus, Comes Oſterodenſis, Svarcenbergenſis, et Plavienſis, temporibus Ottonis I, II, et III. Imperatorum Roma-

Romanorum, seculo adeo decimo. Idem vero Eckebrechtus et Dynastiam Veidensem possedit. Filius huius fuit Henricus I, qvi primus appellari Vogtus passus est, idqve patre adhuc vivo. Vid. idem Becklerus, ibidem. Ex qvo intelligi potest, casu id nomen ortum, nec officii, sed honoris, fuisse. Magna enim Vogtorum iis temporibus in Sacro Imperio dignitas fuit. Henricus autem ille, qvem diximus, his titulis usus est: Henricus I, Dei gratia Vogtus, Comes in Osteroda, Svarcenberg, Glisberg, et Plauen. Hisqve usos titulis Comites Osterodenses, eosdemqve Celsissimorum Ruthenorum Gloriosissimos Maiores, probat Auctor adductus epistola qvadam, scripta A. CIↃ C XLIII, item alia, scripta CIↃ CC LXXIII. Praeterea, non fuisse officii titulum, sed sive casu natum, sive sponte susceptum, vel illud coarguit, qvod Domini Advocati de VVyda ex eo tempore, postqvam Henricus qvidam, dictus Iunior, Curiam Variscorum, cum tractu Regnitiano, a familia Comitum Orlamundanorum emisset, se se Advocatos de VVyda, et Hof appellaverint. Henrico I successit Henricus II, Dei Gratia Advocatus, Comes Osterodensis, Svarcenbergensis, et Glisbergensis, Dynasta Plaviensis, cognomento Pius, primus omnium Vogtus de VVyda, posteaqve Vogtus Vogtlandiae salutatus. Vid. iterum Beklerus. Hic itaqve primus ille fuit, qvi Vogtorum nomen ditioni dedit, ut ea deinde Vogtlandia, eiusdemqve possessores Vogti dicerentur. Illud autem, ut iamdum monitum est, casu, aut sponte factum, non beneficio Imperatoris. Qvam enim terram habuerat iam ante hereditariam, illi administrandae Advocatus dari non potuit. Proinde haud satis scimus, utrum sibi satis constet Scriptor saepe laudatus, qvi, eodem libro, Henricum Aucupem memoret, post caesos

apud

apud Martisburgum Hungaros, in illis locis Vogtos constituisse, qvos Monasterio Qvedlimburgensi praefecerit. Nescimus item, an satis sibi constet, cum scribit, Henricum, cognomento Divitem, propter Bertham, Friderico I. Imperatori propinqva cognatione coniunctam, atqve ex Principali Meraniae Ducum stirpe oriundam, extincta hac familia, patrimonium huius in hac regione dotis loco accepisse, eundemqve Henricum ab Imperatore Sum̃um Imperii Vogtum, et Advocatum huic provinciae datum esse, et progressu temporis Dominum Hereditarium factũ, ac deinde Praepotentem Possessorem totius Vogtlandiae dictum. Nam iam ante id tempus Comites terram illam tenebant, itemqve, Vogtos sese appellari, siverant, pariter et ipsi appellaverant. Tametsi autem in diplomatibus Imperatoriis appellantur S. R. I. Advocati, tamen ita, non qvatenus Vogti, sed qvatenus clientes, dicuntur. Ille vero, qvem diximus, Henricus Dives, alio cognomento dictus est Henricus III. Idem, in exemplum patris, se et ipsum Vogtum de VVyda vocavit. Posteaqvam autem, praeter nominatos Comitatus, et Dynastias patris sui, universam Vogtlandiam reliqvam tenere coepit, Henricus Dives, S. R. I. Advocatus, Dominus in VVyda, salutatus est, item Praepotens Possessor totius Vogtlandiae. Vid. Beklerus Ill. Stem. Ruth. et Hist. Hov., P. II, L. I, C. 2. Conf. Pauli Langii, Monachi Bozaviensis, Chronicon Citizense, ad A. cIↄ c xcııı, cui Comes iste vocatur *Henricus, Nobilis Dominus de VVyda, et totius terrae Advocatus, Praepotens Possessor, et Dominator.* Idem post paulo scribit, *Henricum Seniorem dictum fuisse, tanqvam excellenti titulo, Advocatum, seu, vulgariter, Voit de VVyda, et ita posteros eius, per multa tempora.* Ceterum totius terrae Advocatorum possessionem Casp. Zopfius ad

an-

annum CIↃ C XXX refert, Chron. Ruthen. Gerav. P. I, C. 15. Suscepit autem idem ille Henricus ex Bertha uxore, Comite Tyrolis, filios qvatuor, qvi a Langio his verbis memorantur, *Vxorem habuit Berchtam, Comitissam de Tyrol, quae peperit ei qvatuor filios, qvi omnes Henrici dicti sunt, qvorum primus post eum sedit in VVyda, secundus in Groyt, sive Greitz, dictus Henricus Reusse, tertius in Plavven, qvartus in Gera.* l. d. Sed Monachum erroris arguit Beklerus, tum, qvod Graizensem Plaviensi praeponit, tum, qvod eundem illum Rutheni nomine insignit, qvippe cum cognomentum illud multo serius ortum fuerit. Ill. Stem. Ruth. Hi autem omnes, omissis gentilitiis titulis pervetustis, sola Vogtorum, maioris utpote honoris verbo, contenti fuerunt, illudqve, tanqvam avitum, et hereditarium, usurparunt. Proinde falsus est Alb. Kranzius, qvippe qvi existimat, Henricum I, Regem, terram Advocatorum qvatuor nobilibus Advocatis, seu, Vogtis, qvos Barones vocat, de VVyda, de Gera, de Russe, de Plavve, administrandam dedisse. Saxon. L. IX, C. 33. Diu enim ante iam habuerant Maiores. Propius a vero abludit Beklerus, qvi narrat, Henrici Divitis filios, post Patris excessum, omnes Advocatos, et Vogtos, appellatos esse, et qvidem priores tres ratione Voigtlandiae, ultimum autē ratione Monasterii Qvedlimburgensis. Ill. Stem. Ruth. Accedimus per omnia sententiae, si, titulo Advocati ultimi hereditario accessisse nomen Advocationis Ecclesiasticae, existimetur. Ceterum, ante huius tituli posterioris adoptionem, Henrici Divitis filius natu minimus, aeqve, atqve ceteri, nomine Advocati iam distingvebatur. Post patris obitum omnes, ab sua qvisqve Advocatione, Vogtum se appellavit, non dissentiente ipso Beklero, Ill. Stem. Ruth. it. H. H. P. II, L. I, C. 2. Sigillatim, cur Hen-

ricus Dives, pariter et filius natu maximus, dictus sit Henricus de VVeida, hanc rationem reddit Langius, qvod uterqve transtulerit a monte S. Viti Civitatem trans Elystrum fl. Nam antea, ut idem pergit Monachus, vocabantur Comites de Glisberg. Chron. Citiz. ad an. dictum. Conf. Bekl. Ill. Stem. Ruth. Atqve Comitatum Glisbergensem olim ibi fuisse, ubi hodie sit Veida, statuit Dresserus, de Vrbib. Germ. Advocati primae lineae postero tempore, nempe ab anno CIↃ CCCC LIX, dicti sunt Advocati de VVyda et VVildenfels. Bekl. Ill. Stem. Ruth. Vnum de Advocatorum origine addimus, eam Dresserum assignare Henrico Aucupi, qvi in his terris, et regionibus, Advocatos posuerit, ut supprimerent Sorabos, et urbes multas devastatas reficerent: in illis Cygneam, cui praefecerit Cuniconem, qvi dictus sit Advocatus Zvickaviae. De hoc remansisse nomen Advocatorum, libro d. Facile fieri potuit, ut ab eo Advocato Vogtorum nomen oriretur. Neqve tamen hoc perpetuum fuit, sed ad annum CIↃ CCC XXCVIII, aut CIↃ CCC XXCIV, duravit. Ill. Stem. Ruth. Postea, pro Comitum titulo, iuxta et Advocatorum, placuit Dominorum titulus. Procul dubio, qvia in Bohemia vicina, circiter annum Christi CIↃ CC, omnes Comites, paucis familiis exceptis, Comitum nomine abdicato, Domini appellari maluerunt. Bekl. H.H. P. I, L. I, C. 5 qvi simul hanc causam affert, qvia illis temporibus Dominorum titulus rarior fuerit. Linea secunda Advocatorum divisa est in duas alias: Seniorem, et Iuniorem. Illa dicta est Burggravica Plaviensis, haec Ruthenica Plaviensis. Namqve Senior in Principale fastigium evecta, auspicio Sigismundi Imperatoris. Burggraviatus Misniae, morte Henrici, Burggravii ultimi, vacuefactus, redit ad Sigismundum Imp. et Imperium, A.

cIↄ ccccxxII: vacuus datur Henrico Plavienſi, A. cIↄ cccc xxvI. Traditur autem a Friderico, Principe El. Saxone, Friderici Bellicoſi filio, traditurqve ſimul cum Comitatu Hartenſteinienſi, Dominis a Schoenburg, a Ducibus Sax. oppignerato, ſed a Plavienſe redempto. Bekl. Ill. Stem. Ruth. Domini itaqve Plavienſes ab Sigismundo in Principale faſtigium evehuntur, Principes Imperii, atqve S.R.I. et Principali dignitate Burggravii Miſniae, ſimulqve Comites in Hartenſtein, creantur, poſt obitum Henrici, qvem diximus, Burggravii Miſniae, et Comitis Hartenſteinienſis. Bekl. ibid. qvi et diploma affert. Confirmaturqve illa dignitas a Maximiliano I, ab Rege Hungariae, et Bohemiae, Ferdinando, A. cIↄ Iↄ xxx; a Carolo V, Imp. A. eodem; item alio diplomate, A. cIↄ Iↄ xL; it. alio, cIↄ Iↄ xLI. Bekl. ib. Conceſſus autem Burggraviatus Miſnicus, pariter et Comitatus Hartenſteinienſis, Henrico I illi, qvi fuit Summus Cancellarius Bohemiae. Bekl. H. H. P. I, L. III, C. 7. Dictus etiam eſt ille Dux, et Princeps Plavienſis, item Princeps Imperii. Idem ibid. Succeſſerunt filii ſub Ferdinando Imp. Henricus Senior, et Henricus Iunior, Principali dignitate Burggravii Miſniae. Extincta autem linea Burggravica Plavienſi, An. cIↄ Iↄ LXXII, patrimonium devolutum eſt ad alteram lineam Plavienſem. Eius lineae Domini dicti Advocati, et Rutheni, Domini de Plauen, et Graiz, usqve ad A. cIↄ Iↄc xxx; poſtea Rutheni, Domini de Plauen, Dynaſtae in Graiz, et Cranichfeld, usqve ad A. cIↄ ccccxxcv. Extincta qvoqve eſt linea Gerana, A. cIↄ Iↄ L. Aucti hinc in maius tituli, et Domini Rutheni ab eo tempore dicti Domini de Plauen, Dynaſtae in Graiz, Cranichfeld, Gera, Sleiz, et Lobenſtein. Poſt obitum enim lineae Plavienſis Burggravicae Rutheni etiam acce-

perunt Sleizam, et Lobensteinium. Cranichfelda autem ad Vogtlandiam non pertinet. *Aucti* demum tituli, resumpto vetustissimo Comitum titulo. Hic, auspicio Augustissimi, Invictissimiqve Romanorum Imperatoris, Domini LEOPOLDI, renovatus, et confirmatus, Egrae, A.CIƆIƆC LXXIII, die XXVI *Augusti*. Hodie igitur appellantur: Illustrissimi Comites ac Domini Rutheni, Comites, ac Domini in Graiza, Cranichfelda, Gera, Sleiza, et Lobensteinio. Vid. de his rebus omnibus accurate differentem P. Beklerum, Ill. Stem. Ruthen. Opes item pristinas, fortunas, ac possessiones, feuda, et iura regalia, ac privilegia, deniqve fata, ab eodem repete Scriptore. Nos, concessu, ut speramus, perclementi, Nomina Illustrissima, cernui, supplicesqve intuemur. Vogti Plavienses, qvemadmodum supra diximus, fuerunt in duas lineas divisi: Seniorem, et Iuniorem. Illa Burggravica, haec Ruthenica dicta. Hinc Rutheni. Cuius nominis origo haec proditur. Qvidam Henricus, Vogtus Plaviensis, et Dynasta Ronneburgensis, primus cognominatus Russus. Hic, imperante Friderico Imp. in magna expeditione populorum Christianorum contra Saracenos, et Suldanum Babylonium, cum multis Regibus, Principibus, et Dominis, sigillatim cum Agnato suo, Henrico, Domino de Gera, in Orientem proficiscitur. Ibi, apud Ptolemaida urbem, capitur, emptusqve a mercatore Rutheno, in Russiam delatus, annis ibi duodecim vivit. Postea, fusis Moschis a Tartaris, rursum captus, Principi Tartarorum, Hocatae, datus, ab hoc, propter excellentissimas virtutes, carus habetur. Tempore interiecto, barbari cum exercitibus tribus in Hungariam, et Poloniam, Principatumqve Ligni-

N 2 tien-

tienſem Sileſiorum, erumpunt. His, Principatu devaſtato, alibi reliqviis ſuorum auxiliatum, celeriter revertentibus, Dominus Plavienſis, commodam nactus elabendi occaſionem, remanet, ad ſuos redit. Rebus domi conſtitutis, anno circiter CIↃ CCXL, in aulam abit Friderici II. Imp. propter dotes animi, et corporis ſingulares, cum Auguſto, tum omnibus percarus; ceterũ a ſtatu ſuo, pariter et habitu Ruſſico, Ruſſus longus dictus. Id nominis, ab illis temporibus, usq; in hunc diem, apud Illuſtriſſimos Dominos Plavienſes manſiſſe exiſtimatur. Vid. Ill. Stem. Ruthen. Antiqvius paulo Henricorum nomen eſt, qvo omnes olim Advocati ſunt appellati, et hodieqve Rutheni Plavienſes appellantur. Origo eſt haec. Henricus III, cognomento Dives, duxerat Bertham, Ducem Carinthiae, eandemqve Tyrolis Comitem. Ea fuit agnata Henrici, Carinthiae Ducis, qvi deinde Imperator Romanorum electus eſt. Idem ille fuit filius Friderici I. Imp. Henricus autem Dives ex Bertha Coniuge ſuſcepit filios qvatuor. Inde uxor, amore inducta, tum erga maritum ſuum, tum erga Ducem agnatum, a marito impetravit, ut Filii omnes Henrici ſalutarentur. Id qvod evenit: idemqve mos, et conſvetudo etiamnum valet. Vid. Dreſſer. de Praecip. Vrbib. Germ. et Bekl. Ill. Stem. Ruth. itemqve H. H. P. I, L. I, C. 7. Ad perfectam Genealogiam Illuſtriſſimorum Comitum qvod attinet, eam vide apud eundem illum Becklerum, in Ill. Stem. Ruth. Hodie Comites Celſiſſimi diviſi ſunt in Lineam Seniorem, et Iuniorem. Senior Graizae ſedet, diviſa in domum Superiorem, ac Inferiorem: Iunior in Geranam, Sleizenſem, et Lobenſteinienſem. In utraqve floret ſincera pietas, iuſtitia ſingularis, aeqvitas ſumma,

 muni-

munificentia in literatos incredibilis, amor in ſubiectos vere paternus. Horum votis noſtra iungimus, ac DEVM immortalem ſupplices obteſtamur, ut Illuſtriſſimam DOMVM RVTHENICAM, omni ſummae felicitatis genere in immenſum cumulatam, in omne aevum conſervet, atqve tueatur.

XXIII. Sereniſſimi Marchiones Brandenburgici eam hodiernae Variſciae partem, qvae nomen ſervat vetuſtiſſimum, tenent. Eſt autem illa in Satrapias duas diſtributa: Curienſem, et Bonſidelienſem. Dantur praeterea Praefecturae tres exemptae: Lichtenbergenſis, Monachomontana, et Oberkozavienſis. Ex Satrapia Culmbacenſi Franconica Praefecturae, Helmbrechtana, et Schauenſteinienſis, ad Variſciam et ipſam pertinent, ac referuntur.

Nimirum pars qvaedam Variſciae nomen vetuſtum retinuit: eademqve Sereniſſimis Marchionibus Brandenburgicis, qva Burggraviis Norimbergenſibus, addicta eſt.

Burg-

Burggraviatus autem ceteroqvin divisus in Principatum Superiorem, et Inferiorem. Iam nomen Varisciae reliqvum ad Superiorem spectat, in qvatuor Satrapias distributum: Baruthinum, Culmbacensem, Curianum, et Bonsideliensem. Horum tertius, atqve ultimus, Varisciam omnem propriam, qvae Varisciae nomine adhuc distingvitur, comprehendit, si duo praeterea oppidula addas, qvae Culmbacensi Satrapiae sunt innexa. Sunt vero illa: Schauensteinium, et Helmbrechtum. Reliqva huius Satrapiae loca, pariter et omnia Baruthinae, hoc tempore Franconiae accensentur. Curia, iure emptionis, ab Henrico Advocato Veidensi, una cum terra Regnitiana, omnibusqve eo pertinentibus possessionibus, ad Fridericum IV, Burggravium Norimbergensem, pervenit. Vid. Zopf. Chron. Ruth. Gerav. P. II. Ad eam vero Satrapiam tres Praefecturae pertinent: Curiensis, Nailensis, et Rheaviensis. Bonsidelia, cum tractu suo, olim dicta est terra Boxburgiorum. Eam enim Nobiles de Boxburg olim possidebant. Sed deinde, a Germanis fratribus: Eberhardo, Henrico, et Ludovico, ad Burggravium Norimbergensem, Fridericum IV, iure emptionis devoluta, ditioni eius accessit, anno circiter CIƆ CCC XVIII. Vid. Summe Rev. Dn. Io. Georg. Pertschius, Origin. Vogtland. et Bonsidel. P. I, C 8. Qvod qvidem intelligi oportet de dominio utili. Nam directum iam inde ab anno CIƆ CC LXXXII, adeoqve iam Friderici III, Burggravii, aevo, ad Burggravios Norimbergenses spectavit, Friderico, qvem diximus, III, a Rudolpho I. Imperatore concessum. Ceterum dominium directum, anno, ut monuimus, circiter CIƆ CCC XVIII, cum utili coniunctum est. Vid. iterum Magnif. Dn. Pertschius, l. d. Auctor est Summe Rev. Dn. Io.

Georg.

Georg. Layrizius, veteres possessores Bonsideliae fuisse, Nobiles de Voigtsberg. Hos, more illius aevi, qvaestum praedando fecisse, eaqve ex re nomen de Boksberg, vel Boker, sibi attraxisse. Porro horum posteros, germanos fratres: Eberhardum, Henricum, et Ludovicum, fere ad incitas redactos, pro septuaginta sexagenis monetae Pragensis, vel, iuxta Monigerum, pro septies mille sexagenis denariorum Bohemicorum, vel deniqve, pro viginti qvatuor millibus florenorum, in Fridericum IV, Burggravium, possessionem urbis illius devolvisse. Differt. Histor. de Burggraviatu Nor. Leucopolis. oppidum, a Ioanne, et Alberto, Burggraviis, emitur a Monasterio Valdsassiensi, A. CIↃ CCC XLVIII. Vid. Videmann. Annal. Cur. Bonsidelia olim pertinuit ad Curiensem tractum, et qvidem, inde ab anno CIↃ IↃ XLIX, usqve ad CIↃ IↃ LIV, auspicio Domini Alberti Alcibiadis. Hoc autem anno Praefecturae IV: Bonsideliensis, Leucopolitana, Hohenbergensis, Thirsteiniensis, iussu Burggraviorum, coniunctae sunt: anno autem CIↃ IↃC XIII duae aliae: Kirchenlamitiensis, et Selbensis, cum illis sociatae. Factum id auspicio Serenissimi Principis, ac Domini, Dn. Christiani. Itaqve Praefecturae tractus Bonsideliensis sunt sex: Praefectura Bonsideliensis, Hohenbergensis, Thirsteiniensis, Leucopolitana, Kirchenlamitiensis, et Selbensis. Vid. Magnif. Dn. Pertschius, P. I, C. 21. Separatae Praefecturae sunt: Lichtenbergensis, Monachomontana, et Oberkozaviensis: qvippe qvae a solorum nutu Principum Serenissimorum pendent. Praefecturae autem, Helmbrechtana, et Schauensteiniensis, Satrapiae alioqvin Culmbacensi innexae, Varisciae itidem vindicantur. Atqve haec vera, haec vetus Variscia, sub tutela et imperio Optimorum Principum floret. Horum auspi-

auſpiciis floret iuſtitia, floret pietas, florent optimae artes, floret religio. Qvid enim Principe Glorioſiſſimo, Sereniſſimo Marchione, Domino CHRISTIANO ERNESTO, religioſius? qvid eruditius? qvid magis pium? qvid iuſtius? qvid clementius? Ille patet ipſe ſubiectis ſuis, eosqve audit: ille rigorem aeqvitate temperat: ille bonus, ac propitius omnibus: ille, ut Principum doctiſſimus eſt, ita incomparabilis eruditorum Fautor: ille Tutor emendatae religionis: ille deniqve Vindex, et Aſſertor Germanicae libertatis, ad ſeros poſteros excelſiſſime celebrandus. Orti optimi maximiqve Principes a Celſisſimis Comitibus Hohenzolleranis: ex horum proſapia Burggravii Norimbergenſes: ab his Marchiones Brandenburgici Sereniſſimi: de qvibus praeſtat tacere, qvam parum loqvi, cum tot Auguſta Nomina tam anguſtis disſertationis ſpatiis includi neqveant, vaſtisſimaqve volumina iure meritiſſimo imperent atqve expoſcant. Plura qvi volet, adeat, ſi volet, B. Io. Gvolfgangi Rentſchii, Concionatoris qvondam Aulici Brandenburg. Baruthini, et S. Th. Profeſſoris longe Celeberrimi, opus egregium Teutonice conſcriptum, qvod dicitur Brandenburgiſcher Ceder-Hein, ed. Baruthi, literis Gebhardinis, A. CIↃIↃCXXCII. Nos qvidem in religione votorum acqvieſcimus, ſublatisqve ad coelum palmis, DEVM aeternum illum ac immortalem asſidue adorantes veneramur, ut Sereniſſimum Marchionem, ut Sereniſſimam Coniugem, ut Serenisſimum Principem Hereditarium, Dominum GEORGIVM GVILELMVM, ut univerſam Sereniſſimam DOMVM BRANDENBVRGICAM, ſemper Principalibus fortunis, et felicitatibus, auctam, atqve affluentem, qvam diutisſime ſervet, et tutetur.



XXIV. Serenissimi Duces Saxoniae reliqvum Varisciae hodiernae tenent, et emptione partim, partim matrimonio, magnum eius regionis tractum acqvisiverunt, qvi in Satrapias duas divisus est: Vogtlandicam, et Neostadiensem. Vogtlandia etiam Saxonica in Electoralem, et Ducalem distributa. Posterior Serenissimo Duci Saxoniae Citizensi subiecta.

Ad Serenissimum Principem Electorem Saxonem Clientes Schriftsassii, ut vocant, Electorales, Schoeneccium item oppidulum Schriftsassium, item Praefectura Verdaviensis, qvae hodie cum Praefectura Zvickaviensi coniuncta est, et, si qva sunt alia, pertinent: ad Serenissimum vero Ducem Saxon. Citizensem Praefecturae sex, et Clientes Vogtlandiae Ambtsassii, item illi, qvi Schriftsassii Ducales appellantur. Praefecturae tres: Plaviensis, Vogtsbergensis, et Pausensis, Satrapiam Vogtlandicam; reliqvae tres: Veidensis, Neostadiensis, et Zigenruckensis, Neostadiensem constituunt. Plavia urbs antiqvissimis iam temporibus feudum fuit Saxonicum, et ad glebam terrae eius spectavit: sed, Comitibus Ebersteiniis extinctis, Dominium Plaviense, legitimae successionis titulo, ad Advocatos

catos Plavienses devolutum est. V. Beklerus, H. H. P. II L. III, C. 3. Ante id tempus fuit feudum Marchionum Misniae: sed Advocati subiecerunt Ioanni, Regi Bohemiae, tanqvam feudum nobile Teutonicum eius regni. Ob singularis autem benevolentiae affectum sese beneficiarios agnoverunt. Namqve sibi putabant licere, a qvocunqve Dominorum liberet, recipere illud dominium. Concessionem eam deinceps Carolus IV confirmat, feudumqve hoc regno Bohemiae in aeternum vult innexum. Vid. id. ibidem. Vogtsberga olim clientela fuit S. Imperii. Hinc universa Gens Dominorum Plaviensium, datis ad Carolum IV. Elect. Imperatorem Romanor. literis, significat, arcem Vogtsbergam olim ad Imperatorem, et Imperium, pertinuisse, petitqve, uti se tueatur, et in tutelam recipiat. Id. ibid. At enimvero, cum Dynastia Plaviensis ad Duces Saxoniae postliminio rediit, tum etiam Vogtsberga, item oppida complura, qvae antea ipsorum fuerant, ad eosdem redierunt: idqve iure beneficiario denuo adepto, simul et emptione secuta. Cum enim Burggravii Misniae, et Domini Plavienses, atqve Domini Gerenses, Vogtlandiam a Carolo V. beneficii titulo acciperent, Princeps Elector Mauritius in eius beneficii partem venit. V. idem Bekl. Ill. Stem. Ruthen. Duo autem Burggravii fratres, A. CIↃ IↃ LX, Principi Electori Augusto pro sexaginta millibus florenorum oppignerarunt terras has: Praefecturam, et arcem Vogtsbergensem, Plaviam, et Olsnitium urbes, Adorfium, Schoeneccciumqve, oppidula, et Neokircham vicum: idqve in tres annos. Factum id propter aes alienum, ab Henrico, regni Bohemiae Cancellario Summo, nulla culpa, sed necessitate, contractum. Maximos enim sumptus, in bellum, in qvo Carolo V, itemqve Ferdinan-

do, Regi Bohemiae, operam navarat. Cum enimvero, triennio elapso, perfidia, et luxu qvaestorum, debita non redderentur, cesserunt loca illa Principi Electori, et subiecti Domino Augusto, non qvidem, ut Domino Hereditario, sed tamen, ut creditori, sacramentum dixerunt. Gesta haec sunt A. CIƆ IƆC LXIII. Ante A. CIƆ IƆ XLVI loca illa Sereniss. Sax. Ducum peculia fuerant. Anno autem CIƆ IƆ LXIX. eadem illa Electori, tanqvam Hereditario Domino, tradita sunt ab Henrici fratre iuniore superstite. Rursus vid. Bekl. Ill. Stem. Ruth. Neostadium ad Orilam fl. oppidum ad Fridericum Admorsum, Marchionem Misniae, vi pacti dotalitii cum Elisabetha Coniuge, Comite Arnshaugiensi, pervenit, A. CIƆ CCC I. Vid. Dresser. de Praecip. Vrbib. Germ. Ceterum Vogtlandiae Saxonicae hodie Regnator praeest Reverendissimus, Serenissimusqve Princeps ac Dominus, Dominus MAVRITIVS GVILELMVS, Dux Saxoniae, Iuliaci, Cliviae, Montium, Angriae, et Vestphaliae, Postulatus Administrator Episcopatus Numburgensis, Pater Patriae omni Principalium laudum genere Cumulatissimus, Stator literarum Magnificentissimus, Evergetes eruditorum Optimus Maximusqve, Praeses iustitiae clementia magis, qvam severitate Conspicuus, Amor et Delicium subiectorum, Deus qvidam miserorum. Qvem ut DEVS immortalis, una cum Serenissima Coniuge, cum Serenissimo Principe Iuventutis recens nato, Domino FRIDERICO AVGVSTO, cum Serenissima Principe Filia, in serissimos annos, perqve istud, qvod ordimur, seculum, salvum, et fortunis omnibus Augustissimo fastigio dignis, auctum cumulatumqve esse velit, suspiriis ex imo eductis pectore, precamur.

XXV.

XXV. Clientes, inclytiqve, in toga, perinde ac ſago, Heroes nunc memorandi. Ab Sereniſſima Domo Saxonica clientelares poſſeſſiones habent in Satrapia Vogtlandica: Comites Tettenbachii; Liberi Barones Bodenhauſii, Meuſbachii, et Steinii; Eqvites: Beulvitii, Beuſtii, Boſii, Bunovii, Dobeneccii, Doelovii, Carolovicii, Feilitſchii, Floeſſii a Seilbiz, Haberlandi, Haynii, Heydii, Ioeſnitii, Lohmii, Metſchii, Neidbergii, Oelſnitii, Planitii, Poelnitii, Rabii, Reiboldi, Reizenſteinii, Roederi, Roemeri, Schaumbergii, Schirndingii, Schmerzingii, Schoenfelſii, Seidevitii, Steinsdorfii, Tettovii, Thoſſii, Truzſchleri, VVazdorfii, Winckelmanni, Wolfersdorfii, VVolframsdorfii, Zedvitii, Zehreri a Ramſenthal. In Satrapia Neoſtadienſi: Comites Ronovii; Liberi Barones

Meusbachii, et Obernitii; Eqvites: Brandensteinii, Breitenbauchii, Bunovii, Creuzii, Dieskovii, Endii, Freyvaldii, Gablenzii, Heydii, Koelbelii, Lohmii, Naundorfii, Nischvitii, Obernitii, Poelnitii, Posernii, Rabii, Raschovii, Reichardi, Rittefelii, Roederi, Schaurothii, Schuzii, Sebachii, Seydvitii, Spigelii, Spiznasii, Steinii, Steinsdorfii, Tumplingii, VVazdorfii, VVildii, VVolfersdorfii, VVolframsdorfii, Zehmii. In clientela Serenissim. Marchionũ Brandenburg. hi fere sunt. In Satrapia Curiensi: Comites Tettenbachii, Barones Steinii, et Roschellii. Eqvites: Baumsdorfii, Beulvitii, Dobeneccii, Drechselii, Feilitschii, Hertenbergii, Magvitii, Oberlandi, Puhelii, Radivvorskii de Sechzebus, Raitenbachii, Reckii, Reizensteinii, Schoenstedii, Truzschleri, VValdeccii, VValdenfelsii,

Zedvitii. In Satrapia Bonfidelienfi Liberi Barones Steinii; Eqvites: Grafenreuthii, Lindenfelsii, Marschalli, Schirndingii, VValdenfelsii, VVallenfelsii. Celsissimos Comites Ruthenos feudorum Dominos recognoscunt Eqvites: Beulvitii, Berbisdorfii, Bunovii, Dobeneccii, Doelovii, Draxdorfii, Endii, Feilitschii, Guntherothii, Heydii, Hunefeldii, Iltenii, Karstedii, Kaufungii, Koppii, Kosbothii, Kropfii, Kummerstedii, Magvitii, Meusbachii, Muflingii, Naundorfii, Oberlandi, Obernitii, Pflugii, Poelnitii, Posernii, Rahnii, Raschovii, Raitenbachii, Reizensteinii, Roemeri, Roehrscheidii, Schaurothii, Selbitii, Schoenfelsii, Spiznasii, Steinii, Tettovii, Truzschleri, Tumplingii, Vffelii, VVazdorfii, VVeisbachii, VVinckleri, VVolfersdorfii, VVolframsdorfii, Zedvitii, Zehmii.

XXVI.

XXVI. Qvo tempore Varisci montes suos, concessu Theodorici, habitare coeperunt, a vero DEI cultu alieni fuerunt, postea ad sacra Christiana conversi, demum emendatam religionem amplexi, qvam usqve adhuc summa animorum constantia sartam tectamqve servant.

Narisci, prae reliqvis omnibus Germaniae populis, foedissimum, maximeqve abominandum sibi Deum, Belenum, finxerunt. Nam Q. Septimius Florens Tertullianus, Seculi III post C. N. Pater, Belenum vocat Norici Deum. in Apologia, C. XXIV. Qvamvis vero sint, qvi substituant Aremoricos, Galliae populum, sciendum tamen, Belenum utriusqve populi Deum fuisse. Idem enim Tertullianus alibi idem de Noricis repetit. L. II. ad Gentes, C. 8. Est autem Belenus idem, ac Sol, sive Apollo. Conf. Summe Rev. Dn. Pertschius, P. II, C. 4. Iam idem evincit, Noricos eodem illo cultu vicinos Nariscos inqvinasse, eosdemqve simul intelligi abs Tertulliano. ibid. Multi pro Belenus legunt Tibelinus; ex qvo vocabulo qvidam Germanicum Teufel exsculpere conantur. Sed utrumqve ineptum. Tibelinus ceteroqvin verbum haud dubie ex verbis: Norici Belenus, male connexis, ortum. Ita iudicat summi Vir iudicii, Dn. Pertschius, l. d. Ceterum, sicut templa anti-

qvi

qvi Germani nulla habuerunt, ita nec Narisci. Luci et nemora, loco templorum, superstitionis causa adita. Inde sacrae freqventes arbores, inprimis qvercus. Vid. Dn. Pertschius, P. II, C. 5. Sacerdotes autem, velut Germani ceteri, ita nostri habuerunt; id qvod conjectando assecutus videtur Magnif. Vir, P. II, C. 7. Interim profano huic populo de Evangelio Christi iam seculo I. P. C. N, aliqvid innotuit. Nam Marcus qvidam, cuius Paulus Apostolus mentionem facit, in Norico, atqve Laureaci, quod est ad Aeasum oppidum, verbum divinum praedicavit, id qvod in actis Laureacensium invenisse se scribit Aventinus, II Annal. Conf. Dn. Pertschius, P. II, C. 8. Porro S. Severinus Noricorum Apostolus Seculo V dictus est. Is, anno cccc LIV, in Noricum, et Austriam veniens, religionem Christianam feliciter amplificavit. Vid. Abrah. Bucholzerus, ad eum annum. Compon. Valdenfelsius, XII, 27. et Dn Pertschius, P. II, C. 8. Imo Aventinus non obscure indicat, ipsis etiam Variscis Doctorem Severinum contigisse, L. II; et ex eo Dn. Pertschius, cui videtur longe certissimum, sec. VI Variscos ad Christum conversos esse. Conversi enim tunc Boii, Theodone, seu Theodorico II, Boiorum Duce, converso. Hic enimvero a patre, cum Boiicam, aliasqve regiones, tum etiam Varisciam acceperat. Avent. L. III. Regnante illo Theodone II, Noricorum, et Boiorum Duce, S. Rupertus, Vangionum Antistes, ex Gallia in regiones has commigravit. Is Ducem, iam octogenarium, Ratisbonae sacro fonte tinxit, et ad ceremonias Christianorum informavit. Secuti Ducem libenti animo Boii: secuti subiecti reliqvi. His rebus gestis, Dux Episcopatum Salzburgensem fundavit, creato primo illorum sacrorum Antistite ipso Ruperto. Vid. Valdenfels Monum.

Hiſt. et Antiqv. XII, 27. it. Dn. Pertſchius, P. II, C. 8. Qvare haud ſatis ſcimus, qvibus rationibus nitantur, qvi exiſtimant, Bonifacium, Germanorum Apoſtolum, ſec. VIII Variſcos Chriſti ſacris imbuiſſe. Debetur hoc beneficium Severino, et inprimis Ruperto debetur. Bonifacius potius Francos, Haſſos, ac Thuringos, convertit. Vid. Albert. Stadenſ. ad annum CIↃ CC LV. Conf. Dn. Pertſchius, P. II, C. 9. Adverſam ſententiam tenet Videmannus, in Chron. et Valdenfelſius, XII, 27. Qvi quidem et ipſe Severino, Rupertoqve, converſionem vindicat, ſed tamen neqve Bonifacium ab illa excludit. Progreſſu autem temporis, cum Eccleſia multo errore corrupta eſſet, emendatio, opera, et miniſterio B. Lutheri, ſuſcepta eſt. Vogtlandia hinc Saxonica, reiecta ſuperſtitione, religionem ad Formulam Auguſtanam conformavit. Secutus Saxonum exemplum Sereniſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus Georgius I, Marchio Brandenburgicus, qvi, anno CIↃ IↃ XXVII, ſententiae Lutheri acceſſit, et, convocatis Theologis, pariter et Iureconſultis, in Conventu Svobacenſi, religionis repurgationem, in Burggraviatu Norico, decrevit. Vid. B. Io. Gvolfg. Rentſchii, olim Sereniſſ. Aulae Baruth. ac Xenodochii, Eccleſiaſtae, nec non Theol. Moral. P. P. Iubilaeus Burggraviatus Norici, ed. Baruthi, A. CIↃ IↃC LXXVIII. Decretum in Receſſu anni CIↃ IↃ XXVIII, die Martis, poſt diem feſtum Invocavit: *Vt verbum DEI, V. et N. Inſtrumenti, pure proponatur: ut officiales, pariter ac ſubiecti, attenderent ſolicite, nec qvicqvam verbo DEI contrarium concederent, ſed Serenitati ſuae veraciter indicarent. Neminem enim, adverſam doctrinam publice profitentem, in regionibus, ſuae Serenitati ſubiectis, tolerandum.* Qvae res qvo felicius perficeretur, indictus Conventus Svobacenſis. Convenerunt die Mercurii, poſt Corporis Chriſti Sacrum, Legati Brandenburgici, pa-

ci,pa-

ci, pariter ac Norimbergenses. Idem Georgius prima fundamenta ipsius Formulae Augustanae iecit, eidemqve Conventus ipse prima rudimenta dedit. Consignaverant Theologi Brandenburgici articulos XVII, qvos et Norimbergenses ratos habuerunt. Hos articulos Serenissimus Princeps, Dominus Georgius, Principi Electori Saxoniae, et Landgravio Hassiae, transmisit. Hi Principes Serenissimi eosdem Theologis Vitembergensibus, et Marpurgensibus, expendendos tradiderunt, qvi, approbatos, et nonnihil emendatos, in Conventu Smalcaldico produxerunt. Atqve ex his ipsis Articulis Theologi, qvos modo diximus, in Comitiis Augustanis publicam, et sanctam Confessionem collegerunt. Vid. rursus B. Dn. Rentschius. Qvod attinet ad Varisciam Ruthenicam, haec pariter, sub idem repurgatae religionis initium, sacris emendatis initiata est. Qvo de argumento vid. Zopfius, Chron. Ruth. Gerav. P. I, C. 10. De Praefecturis sacris Varisciae addimus, numero esse duodecim: sigillatim, in Saxonica, qvinqve, in Brandenburgica, tres, in Ruthenica, qvatuor. Sacrorum Vogtlandiae Saxonicae Antistites sunt hi: Neostadiensis, Olsnitiensis, Plaviensis, Reichenbacensis, qvi Inspector dicitur, et Principi Electori obnoxius est; ac deniqve Veidensis. Brandenburgicae sunt hi: Curiensis, Bonsidelienfis, et Monachomontanus. Ruthenicae sunt hi: Geranus, Graizensis, Sleizensis, et Lobensteiniensis.

XXVII. Superest, ut vicissitudines, et bella, breviter repraesentemus. Multum mali perpessa Variscia in expeditio-

ne Caroli IV, Imp. et Friderici Strenui, Principis El.Sax. ſuſcepta A. CIↃ CCC LIV. Nec minus a furore Bohemorum paſſa, A. CIↃ CCCC XXX, et CIↃ CCCC XXXIII. Multum porro vexata bello, inter Fridericum, Principem El. Sax. et Ludovicum, Ducem Sax. fratres exorto, A. CIↃ CCCC L. Amplius bello, qvod inter Albertum, Principem El. Brandenb. et Ludovicum III, Ducem Bavarum, exarſit, CIↃ CCCC LIX. Haud ita multo poſt, nempe A. CIↃ CCCC LXVI. bello Erneſti, Princ. El. Sax. adverſus Plavienſem Ruthenum geſto. Anno autem CIↃ IↃ IV, bello Boioarico, inter Maximilianum I, et Rupertum Palatinum, eiusdemqve patrem, Philippum, geſto. Anno CIↃ IↃ XXV, tumultu ruſticorum. Deniqve bello Germanico, qvod A. CIↃ IↃ XLIV, et triceſimali, qvod CIↃ IↃC XXXVI coeptum eſt.

Bella

Bella, malorum maximum, ultimo appendimus loco. Illis Varisca, si qva alia, regio infestata olim. Coeperunt autem inprimis, imperante Carolo IV, Imp. Romanorum. Ante isthaec tempora satis fuit felix Vogtlandia. Anno autem cIↃ CCC LIV gravissima expeditio Caroli IV, et Friderici, cognomento Strenui, adversus Henricum Plaviensem suscepta est: aliaqve, A. cIↃ CCC LVII, ab eodē Friderico. Vid. Albin. Chron. Misn. P. I. Qvanqvam alii Historici expeditiones illas coniungunt, et utramqve ad annum cIↃ CCC LVII. referunt. Causae belli hae. Imperator, prout regnum Bohemiae cupiebat esse qvam amplissimum, eas urbes, atqve arces, qvae ad illud olim pertinuissent, recuperare cupiebat. Henricus autem Plaviensis, cognomento Ruthenus, qvaedam oppida, arcesqve, possidebat, sibi pignori datas. Agitur cum eo, ut iusto pretio repignerari pateretur. Ruthenus nullas conditiones audit, neqve contentus finibus, Misnicos invadit. Rē ad Imperatorem delata, admonitus, Ruthenus non desistit incepto. Rex contemptum, et Marchio contumeliam, indigne ferens, communibus viribus, ad sua qvisqve repetenda, ditionem invadit. Zigenruckum arx, ceteris munitior, primum obsidetur: ea enim multum Ruthenus confidebat. Incisis autem foris canalibus, et tubis, obsessi aqvarum, victusque inopia laborant. Facta inde deditione, miles, vitam pactus, arcem Regi, et Marggravio tradit. Mandato regio poena a Praefecto Zigenruckano sumitur. Qvare tantus Praefectis reliqvis metus iniicitur, ut imperata faciant. Qvo factum, ut, repente deditis castellis, ne recolligendi qvidem sui Rutheno imparato potestas relinqveretur. Oppugnata autem, iuxta et dedita, non modo loca debita, verum etiam dominia Rutheni propria: Triptitium, Stei-

na, Ronneburgum, Graiza, Veida, Olsnitium, Vogtsberga, Plavia, Lichtensteinium, Moringa, Hindenburgum, Trier, Rune, et alia plura. Rem adeo indigne tulit Ruthenus, ut confestim Praefectos ad se evocaret. Hos primum obiurgare, propter cupiditatem, qvi ab Rege se corrumpi passi essent; deinde etiam, propter formidinem, qvi non pugnassent pro republica: postremo accusare perfidiae, qvi, se inscio, munimenta firmissima hosti prodidissent. Praefecti afferre defensionis suae causas: potentiam Regis, et celeritatem: tum, de improviso se oppressos, numero longe inferiores: hinc cessisse fortunae, non cupiditate, sed necessitate: non etiam potuisse arces teneri, propter machinas adhibitas, ac tormenta: rectius deniqve sibi visum, integras relinqvere arces, vel hosti, qvam incensas deserere, non sine suo, civiumqve ingente periculo. Ruthenus nullam partem defensionis accipit. Hinc, ut reliqvos Praefectos retineat in officio, severissimum exemplum edit. Namqve praefectos in horreum compellit, qvod inflammat. Tam aegre is bonorum iacturam ferebat. Arces ad Bohemiam pertinentes Rex praesidiis munit: alias, seu pertinentes ad Misniam, seu Rutheni proprias, Marchioni relinqvit. Vid. Georg. Fabricii Chemnicens. Originum, unde haec mutuati sumus, Illustriss. Stirpis Sax. L. VI. Conf. Kranz. Saxoniae L. IX, et Beklerus, H. H. P. II, L. III, C. 4. Anno CIↃ CCCC XXX nova Varisciae calamitas a furore Bohemorum. Hussitae enim, post vivos concrematos sanctissimos Martyres, Io. Hussum, et Hieronymum Pragensem, de sedibus erumpunt suis; et, praeter Misniam, Lusatiamqve superiorem, et inferiorem, item Saxoniam, complura Varisciae loca vastant, multaqve exurunt: exempli causa, Verdaviam, Reichen-

chenbacum, Aurobacum, Olsnitium. Cumprimis autem furiosi eunt in Henricum Plaviensem. Is in carcere detinebat captum Sternbergium, Baronem Bohemum, qvem, lite licet aestimata, tamen redimendum dare noluit. Veniunt igitur Bohemi ad Plaviam urbem, paciscuntur cum Praefecto, ut ipse ex arce discederet, milites arma deponerent, salvi abirent. Ni facerent, extrema minitantur. Spatio ad deliberandum dato, arcem in potestatem Bohemi accipiunt. Sed, pacti immemores, crudeliter dedititios inermes interficiunt. In his de nobilitate plus qvam centum occisi, et spoliati. Metu illo sublato, in cives ferrum stringunt, supra nongentos trucidant: in senatum, et flamines, magis, qvam in ceteros, sua consvetudine truces. Edita per oppidum strage, arcem diruunt, tectis ignes subiiciunt. Accidit VIII Kal. Febr. quo die memoria Conversionis Pauli, Apostoli, celebrata. Multas praeterea urbes obruunt, siqve ferro pugnare nollent, magna pecuniae summa aestimant. Ingens ruina castellorum, urbiumqve, secuta. Rudera id etiamnum loqvuntur arcium: Gattendorf, Kozau; item urbium: Helmbrechti, Monachomonti, Leucopoleos. Curia, et fere omnia Varisciae oppida, ac vici, exusta. Vid. Georg. Fabricius Chemnic. L. VII. Conf. Kranz. Vandal. L. XI, C. 20. et Dn. Pertschius, P. I, C. 18. Iidem Bohemi iterum in Vogtlandia praedas agunt, A. CIϽ CCCC XXXIII. V. rursus G. Fabric. l. d. Eodem seculo, et quidem A. CIϽ CCCC L novum bellum. Comites Svarceburgii armis inter se de hereditate contendunt. Eo bello Duces ipsos Saxones, qvorum in ditione erant, implicant. Propter enim Henricum Svarceburgium Principi El. Friderico bellum faciunt Adolphus, et Sigismundus, Comites Glichenses, cum aliis qvibusdam.

Pro-

Profectus in Thuringiam Elector, populatione, et incendiis illorum agros vastat. Cumqve nec fundis fraternis, qvorum pleriqve oppignerati ab Electoris hostibus tenebantur, parceretur, iniuriam interpretatus est Gvilelmus non ferendam, qvippe cum sua ignominia coniunctam. Tametsi vero viribus satis instructus non erat, tamen prudentia sibi pugnandum putavit. Itaqve fratri non occurrit, sed subito collectas copias in Misniam immittit. Tum ad Albertum Brandenburgicum nuncios ablegat, qvem in suas partes, multorum beneficiorum commemoratione, non difficulter pertrahit. Fit varia incursio. Hostem tamen neminem magis oderat, qvam in Vogtlandia Gerensem. Ad huius igitur oppidum evertendum omnes copias congregat. Eas, delectu Torgae habito, contra ipsum educit. Verita excidium mater, gravissima foemina, nobilibus matronis stipata, obviam it Gvilelmo. Admissa in Ducis conspectum, verba pro tempore humiliter facit, et oratione flebili admonet, ne qvid iratus committeret, cuius deinde poenitere posset. Laudata mulieris pietate, et virtute, ab incepto desistit, in Misniam confestim revertitur. Fabric. l. d. Sed Gerensis postea, scriptis literis, Gvilelmum denuo lacessit, item in Radensi praefectura praedas agit. His rebus exacerbatus Dux, omissis rebus aliis, omnem vim belli in Gerensem convertit. Miles externus, instructo pergens agmine, diripit, qvaecunqve erant obvia in agris, aut castellis non satis munitis; onerat plaustra aere Campano, qvod e templis abstulerat; nullam cuiqvam supellectilem relinqvit. Elector, qvid acturus frater esset, non ignarus, Gerensi succurrit, et ex altera Elystri ripa castra collocat. Vtrinqve in opere faciendo, et exaeqvandis eqvis, et commeatu comportando, levia

prae-

praelia fiunt. In uno a Gvilelmianis Ludovicus Gleichensis, Ernesti frater, capitur, et magnis clamoribus in castra ducitur. Interim cum copiis suis adventat Fridericus Brandenburgicus, qvi Veidam, uno inde milliari, divertit. Cum per incuriam miles quidam agit, hospitis domum inflammat. Dimidia hinc oppidi pars in cineres redigitur. Gvilelmiani se ad expugnationem Gerae comparant. Milites praesidiarii, et cives, fidem iureiurando invicem dant, seqve, obfirmatis animis, defendunt. Cum enim mala alia, tum praecipue Bohemorum furorem metuunt. Itaqve fortunam experiri, qvam cuiusqvam clementiam implorare, malunt. Sed Bohemi tandem irrumpunt: et, qvia non sine clade potiti victoria fuerant, in omnem multitudinem saeviunt, ne puerperis qvidem parcentes, et infantibus. Gerensis ipse in hostium potestatem venit, Comes Orlamundanus, Burggravius Kirchbergensis, et Nobiles multi, et cives primarii. Gerensis, in Bohemia, lue pestilenti moritur: Nobiles item multi ibidem decedunt. Ceterum muri oppidi diruuntur, et arx, atqve aedificia, incenduntur. Plebs promiscua, qvae fuga in templo salutem qvaesierat, spoliata, et, exuta rebus omnibus, nullo habito personarum, aetatis, sexus discrimine, miserabiliter inter aras trucidatur. Caesa autem in oppido sunt ultra qvinqve hominum millia. Vid. Fabric. l. d. Anno CIↃ CCCC LIX bellum exarsit inter Albertum, Marchionem, atqve Principem Electorem Brandenburgicum, et Ludovicum III, Boioariae Ducem. Bonsidelienses, qvi inprimis a Bohemis auxiliaribus, propter damna Hussitico bello illata, petebantur, eos fortiter a muris, cervicibusqve suis, repellunt. V. Dn. Pertsch. P. I, C. 18. A. CIↃ CCCC LXVI. Ernestus El. expeditionem suscipit contra Plaviensem.

Nam ab eo populus deficit, seqve ad Saxoniae Duces applicat. Elector, tam ab ordine eqvestri, qvam a plebe, rogatus, IV. Id. Febr. in Vogtlandiam movet, agrum Plaviensem praedabundus ingreditur, oppidum praecipuum, Plaviam, occupat. Tum arcem oppidi capit, et illam omnium antiqvissimam Vogtsbergam. Olsnitienses, et Adorfienses, sponte in castra veniunt, ac sese dedunt. Plaviensis, amissa ditione, in Bohemiam se confert: cui certam pecuniae summam Elector numerat, de qva Deusingam oppidum, et Engilsburgum, emit. Eodem etiam hoc anno Elector Burggraviatum Misnicum occupat. V. Fabric. l. d. Conf. Albin. Chron. Misn. P. I, Tit. 14. Secutum est bellum Boioaricum, inter Maximilianum I. et Rupertum Palatinum, eiusqve patrem, Philippum, gestum, anno CIƆ IƆ IV. Bohemi Ruperto suppetias ferunt, et cum ingentibus copiis totam Varisciam depopulantur, magnasqve ruinas edunt: sed a civibus Bonfidelienfibus, et Aeremontanis, repelluntur, ac fugantur. Vid. Dominus Pertschius, P. I, C. 18. item Bruschius, Descript. Mont. Pinif. Anno autem CIƆ IƆ XIX oppidum Olsnitium a Bohemis miserum in modum vastatur, et in favillas redigitur. V. Zeilerus, Itinerar. Germ. P. II. Anno CIƆ IƆ XXV, rustici in agro Plaviensi seditionem conflant, qva de vid. Munsterus, in Cosmogr. Anno CIƆ IƆ XLVI secutum est bellum Germanicum magnum. Curia, a Io. Friderico, Elect. Sax. ad deditionem provocata, deditur, et statim recuperatur; at denuo, tormentis verberata, expugnatur. Bonfidelia deditionem recusat: sed tandem tamen Plavio, Burggravio, eidemqve

Cancel-

Cancellario Bohemiae, bis se dedit. V. Dn. Pertschius, P. I, C. 18. Sub initium sec. XVI, oppida Varisciae, a Bohemis in bello Smalcaldico occupata, ab Rudolpho, Bohemorum Rege, Serenissimis Ducibus Sax. restituuntur. V. Zeilerus, de X. Circul. Imp. Demum vero secutum est bellum Germanicum, qvod vulgo tricesimale dicitur, coeptum A. CIƆ IƆC XXXII. In eo, praeter plurimas alias Germaniae regiones, et nostra Variscia plurimum malorum perpessa: sigillatim Olsnitium excisum, urbesqve, Curia, et Bonafidelia, cum vicinia, maxime omnium vexatae. Finitum autem triginta annorum bellum A. CIƆ IƆ XLVIII. Vid. ultima vice laude nostra maior Dn. Pertschius, in opere qvam saepissime laudato, P. I, C. 18. Ab illo tempore, post immensas propemodum calamitates, Variscia respiravit, ac fructus aureae pacis usqve huc percepit, et sub paterno, clementissimoqve imperio Optimorum Saxoniae, Brandenburgicorumqve Principum, ut et Principali sangvine ortorum Comitum Ruthenorum, floruit. Vt vero floreat in perpetuum, neqve ullis casibus adversis agitata, turbatave, perennet, postremo DEVM immortalem sine ulla intermissione religiose comprecamur.

Q

PARS II.

PARS II,

DE

CVRIA VARISCORVM.

I.

CVRIA, Vrbs urbium Varisciae, ex tesqvis, horrendaqve sylva, latrociniis freqvente, atqve intuta, surrexit.

CVria, an urbs alia, caput sit Varisciae, non convenit inter omnes. Caspar utiqve Bruschius Curiam metropolin Voitlandiae salutat. Descript. Mont. Pinif. Contra Bilibaldus Birckheimerus Norimbergam metropolin totius Narisciae ponit. Descript. Norib. Qvae sententia minus verisimilis videri potest. Tametsi enim Narisci a Noricis oriundi sunt, tamen diversus postea, qvam maiores, populus habiti. Alii Plaviae decus vendicant: in his Seb. Munsterus, Cosmogr. L. V, qvi eam urbem et Vogtlandiae, et Narisciae, principem ducit. At neqve Curiae, neqve Plaviae, qvicqvam nos derogatum cupimus. Est, nostro qvidem iudicio, Princeps urbium Curia: est item Plavia; illa Varisciae propriae: haec Vogtlandiae propriae; porro illa Varisciae latae, sive hodiernae: haec Vogtlandiae hodiernae. Si Vogtlandia Varisciae nomen induit, Curiam agnoscere metropolin; sin Variscia Vogtlandiae appellationem recipit, Plaviam recognoscere metropolin videtur. Si dicendum, qvod

res

res est, nec Variscia dici potest Vogtlandia, nec Vogtlandia Variscia, qvemadmodum Parte I ostendimus. Sed tamen regiones istae pro una eademqve hodie ducuntur. Est alioqvin sua utriqve metropolis: Varisciae Curia, Plavia Vogtlandiae. Qvod si tamen vocabula exaeqvantur, ac pro iisdem habentur, qvemadmodum omnino hodie habentur, sicut totius Varisciae caput Curiam, sic Vogtlandiae latae caput Plaviam, dicendam esse arbitramur. Sed vero Curia nobis curae erit, cuius ante omnia ortum pervestigamus. Henrico III, Imperatore Romanor. A. C. CIↃLVI vita functo, Henricus IV, filius, natus annos qvinqve, succedit. Huius cura matri committitur. Re licet per sexennium bene gesta, gliscentibus procerum, ob muliebre imperium, odiis, filius matri, neqve sine vitae periculo, eripitur. Huius educatio, pariter et Germaniae administratio, sacris vendicatur hominibus, tunc temporis potentissimis. Hi animum adolescentis, per se liberalem, et clementem, in utilitatem vertunt, sibiqve obnoxium reddunt. Multa hinc scelera secuta: bene meriti loco moti: indignis munera vendita: invasa bona, obtentu mandati regii, aliena: summa imis mixta. Corruptus inprimis Imperator ab Adelberto, Archiepiscopo Bremensi, et Verenhero, Comite. Proceres Germaniae Imperatori narrare in conventu Triburiensi, A. CIↃLXXVI acto, hominum illius scelera. Cumprimis autem Saxones qveri: horum proceres qvotidianis fere proeliis inter se committi. Excitare hinc Henricus in Saxonia, locis idoneis, hinc inde in montibus, ad Saxones coercendos, castella, et praesidiis munire. Saxones qveri, in fraudem libertatis extructa: hinc conventus agere, novas res moliri contra Henricum. Qvanqvam Scriptores qvidam aliam extru-

ctis castellis causam obtendunt: in his Videmannus, in Annalibus Vrbis Curiae, et qvos hic secutus. Aiunt, causam fuisse libidinem Imperatoris, et crudelitatem adversus subiectos. Hannonem, Pabenbergensem, Coloniensemqve Antistitem, ab Imperatore in partem administrandi Imperii ascitum, pristinum Reipublicae statum in melius mutasse. Sed hunc, anno praeterlapso, munus deposuisse, offensum iniustitia palatii, et iuvenilibus peccatis ipsius Imperatoris. Tum Imperatorem, velut Praefecto morum liberatum, in omne genus vitiorum incubuisse. Iam his rebus factum, ut Imperator plerisqve populis invisus, nec satis in Imperio tutus videretur. Ideo repente montibus, collibusqve, in Saxonia praecipue, et Thuringia, arces, et castella imposuisse. Sed defuisse praesidiariis definitos reditus, et tributa. Inde his concessum, qvovis modo sibi prospicere. Ergo praesidiarios excurrere, iniurias finitimis inferre, in proximis villis, et agris, hostili more praedari, tributa, et vectigalia sylvarum, camporumqve, immensa exigere, greges, obtentu decimarum, abigere, provinciales, eosdemqve honesto loco natos, et opulentos, vilium mancipiorum ritu servire cogere, stupra facere, et alia nefanda patrare, aegre autem ferentes, ac dolentes, qverentesqve, tanqvam Regi iniurios, in vincula conicere, nec nisi cum gravissima mulcta, rerumqve omnium iactura, dimittere. Sed enimvero Saxones, et Thuringi, tandem praedarum, et latrociniorum impatientes, inita societate, fidem sacramento obstringere, aut se morituros, aut in libertatem se vindicaturos. Mittuntur Goslariam legati ad Imperatorem, qvi postulent, castella, ad opprimendam pacem publicam extructa, sine mora complanari curet. At Caesar, sibi, et nomini suo, hoc

dede-

dedecori fore, ratus, contemptim respondet. Saxones arma sumunt, armati Goslariam contendunt, castra ponunt, extrema minitantur. Nuncio Imperator consternatus, ex castello Hartesburgo, pro concilianda pace, legatos semel iterumqve mittit. Sed noctu tamen Imperator per sylvam, nihil tale opinantibus Saxonibus, cum Imperii insignibus evadit; spes hostium fallit. Hi, nihilo segniores facti, foedere cum Thuringis percusso, ad expugnanda castella se comparant. In castellis praecipua: Hartesburgum, Vigantensteinium, Moseburgum, Sassesteinium, Spatenberga, Heimenburgum, Asenberga, Vokenrothum. Aliqvot etiam horum expugnant, et igne delent. His auditis, Imperator, licet invitus, consentit, pacem facit, per nuncios mandat, a castellis exercitus abduceretur, praesidiarii nil hostile provincialibus facerent, deniqve, consumpto commeatu, castella provincialibus traderent diruenda. Postea vero qvam Henricum conventorum mox poeniteret, a Saxonibus Goslariae, facto iterum impetu, oppressus, conditiones aegerrime implet, castellaqve, et arces, everti iubet. Accidit altero post anno, i.e. anno CIↃ LXXIV. Sed propius iam ad Vrbis origines accedimus. Imitati Imperatorem Nobiles, cum passim alibi, tum etiam in Variscia, arces praedatorias aedificant. Extructae inprimis circa Bonsideliam, et Montem Piniferum, tali situ, ut praedones de una possent alteri signum dare: interdiu per vexillum, noctu per lucernam appensam. Extructae item ibi, ubi hodie Curia. Erat ibi horrida sylva, et solitudo ingens, nemoraqve densissima. Horum, postea caesorum, circum circa Vrbem, hodieqve vestigia superant. Hic latibula praedones legunt, arces condunt, transeuntibus non modo agricolis vim afferunt,

ferunt, sed etiam viatoribus: horum bona diripiunt, sangvinemqve fundunt. Arces autem hic locorum extructae tres: una in colle Clausenberg, versus occidentem Solem, qvi collis saxum est, cui Templum D. Laurentii impositum: alia apud pagum Gattendorfium, qvod dimidio lapide a Curia distat: tertia in saxo Salenstein, tantundem a colle Clausenberg dissito, inter Iodizium, et Inferius Kozavium, pagos, et ipsi Salae fl. imminente. Arces hae sic constructae, ut a Salenstein ad Clausenberg, et ab hac arce ad arcem Gattendorf, mutuus prospectus esset. Cumprimis latrocinia agitata circa eum locum, ubi hodie platea est, qvae latrocinalis appellatur. Ibi freqventissimae invasiones. Inde ubi qvis venisset ad vadum Salae, qvod felix (der selige Fuhrt) cognominatur, et ultra illud, qva tenditur ad Nosocomium, in viam, qvae similiter felix (das selige Gaesgen) dicitur, salvus pervenisset, vitae discrimine perfunctus putabatur. Sicut vero Nobiles in exaedificandis arcibus Caesarem imitati, ita, in exscindendis, Saxonum exemplum aemulantur Nobiles Narisci. Sigillatim Domini de Eger vicina castella, ad Montem Piniferum, item in ipso Monte, sensim paulatimqve demoliuntur. Qvo pacto sibi, perinde ac vicinis, atqve viatoribus, terram pacant, itineraqve tuta praestant. Sub idem tempus generosissimi, fortissimiqve Eqvites: Kozovii, Sparneccii, Rabensteini, Feilitschii, Luchovii, magni rem animi aggressi, primum sylvam illam, qvam diximus, eradicant, deinde castella expugnant, et solo aeqvant. Vid. Videmannus, in Chronico, et, post eum, Pl. Rev. Dn. M. Io. Christoph. Layrizii Programma, cuius haec est inscriptio: Origines Vrbis Curiae, ed. A. CIƆ IƆC XXCV.

II. Est

II. Eſt autem Curia in Vrbem Veterem, et Novam diviſa. Illam condiderunt Eqvites generoſisſimi: Kozovii, Sparneccii, Rabenſteinii, Feilitſchii, Luchovii: hanc Otto, cognomento Magnus, Dux Meraniae, et Otto, Comes Orlamundanus, et Henricus, Advocatus Veidenſis.

Ne deſtructa, et everſa latronum latibula cum tempore reaedificarentur, loco exciſae ſylvae, et infeſtae ſolitudinis, viculum ad Salam fl. aedificant fortiſſimi, qvos commemoravimus, Heroes. Huc coloniam traducunt: huc ſubiectos ſuos, ſimul et villicos alios, ablegant. Hisqve rebus factum, ut Veteri Vrbi Curiae primordia darentur. Crevit Vrbs, creſcentibus incolis, indies in maius, brevi iuſti oppidi magnitudinem conſecuta. Geſta haec ſunt circiter annum C. N. CIↃ XXCI. Ne autem loco divina auſpicia deeſſent, aedificandi templi cura tempeſtive ſuſcipitur. Ergo ſacellum in Colle Clauſio ſtruitur, qvo loco caſtellum ſteterat. Arces reliqvae, Salenſteinium, et Gattendorfienſe, nihil, praeter rudera, ſaxa, et foſſas, magni operis monumenta, oſtentant. Poſt haec factum eſt, ut Veteris ſpatium Oppidi freqventiam hominum vix caperet. Exinde facta incolis, perinde ut accolis, nec non Eqvitum ſubiectis, poteſtas, ut aedificia ſeptentrionem verſus proferrent, Novamqve Vrbem exaedificarent. Data

poteſtas a Bertholdo IV, Marchione Iſtriae, eodemqve Comite Andecenſi, et Dyſſenenſi, qvi, anno CIↃ C XXC, a Friderico I, Imperatore, Dux Meraniae, et Vogtlandiae creatus eſt. Tum ab ipſo, pariter et ſucceſſoribus, ſtatutis civilibus, legibus, privilegiis, immunitatibus, firmata. Hinc aliqvo poſt tempore coepta VrbsNova condi, circiter A. CIↃ CC XXX. Otto enim, cognomento Magnus, Marchio Iſtriae, Dux Meraniae, Dalmatiae, et Vogtlandiae, Comes Palatinus Burgundiae, Comes Andecenſis, et Dyſſenenſis, ut erat Princeps potentisſimus, et aedificandis urbibus, arcibus, monaſteriis valde delectabatur, ſic opus urget, ſed non ita poſt multo, nempe A. CIↃ CC XXX, aeterno ipſe ſopore urgetur. Filius degener, Otto II, voluptatis, qvam reip. ſtudioſior eſt. Sub huius itaqve imperio ceſſat affectum opus, vix ſupra aedem S. Michaelis productum. Si qva etiam hoc vivo aedificata, minus decoris, artisqve produnt, qvam qvae antea, velut ſiniſtra urbis pars evincit. Hoc autem Principe interfecto (id qvod anno CIↃ CC XLVIII accidit) Curia ad Ottonem, Comitem Orlamundanum, propter uxorem Beatricem, Ottonis M. Meranii filiam, pervenit. Hic Vrbem, per forum medium, usqve ad portam inferiorem, continuat: item binis vicis, nominatim, Area, ut Videmannus vocat, et Orla, amplificat. Deinde Otto ille Orlamundanus Henrico, Advocato Veidenſi, Vrbem vendit; qvi arce, muro, foſſa, pomoeriis, propugnaculis, munit. Eiusdem tempore Henrici ſuburbium, vicus piſcatorum, et aedificia foſſae imminentia, usqve ad pontem lapideum inferiorem, aedificantur, et, ſub imperio Burggraviorum Norimbergenſium, magis magisqve extenduntur. Vid. Venerand. Dn. Layrizius, Program. ſupra adducto. it. Videmannus.

III. Cu-

III. Curia, cum adiectione, Curia Regnitiana, item Curia Variscorum, appellatur.

Qvantum ad nomina Vrbis attinet, ea Germanice Hof dicitur, Latine Curia, item Curia Regnitiana, ut et Curia Variscorum. Ante Vrbem conditam aedificium aliqvod extructum fuit versus meridiem, ad dextram Salae ripam in eo loco, ubi mola est fruticeti, (Stauden-Mühl) Istud aedificium dictum Hof. Fueritne autem villa, an praedium nobile, non satis liqvet. Vtrumqve enim lingva Teutonica Hof salutatur. Altera tamen sententia veri similior videtur. Argumento sunt praedia nobilia, hodieqve in proxima vicinia reliqva: Hofeck, Hoefles, Lausenhof, Neuhof. Pro villa pugnat Videmannus: pro praedio antecessor eius, Thomas Blebelius, oratione illa, qvae Rhetoricae subiuncta est. Idem illud aedificium situm fuit ad confluentes Regnitii rivi, et Salae fluminis. Inde dictum et cum adiectione Regniz Hof. Porro hinc factum est, ut non procul inde viculus aedificaretur, et ipse pariter nomine Hof consalutaretur. Idem porro ille, perinde ut solitarium, qvod modo diximus, aedificium, non solum Hof, sed qvoqve cum additamento, Hof Regniz appellatus. Qvin etiam Nova deinde Vrbs idem nomen sortita. Vtraqve Vrbs, Vetus, et Nova, licet aliqvanto longius a Regnitio rivo absit, tamen caussa subest, cur utraqve ab eo nomen tulerit. Nam uterqve rivus Regnitianus, superior, et inferior, supra, et infra Vrbem, Sala mergitur, et alveolis duobus limites Vrbis distingvit, agrumqve a vicinia, in meridiem versus, et septentriones, seiungit. Hinc tota etiam terra illa olim terra Regnitiana appellitata. Atqve operae pretium hic fuerit

utrumqve rivum paulo accuratius descriptu m dare. Regnitium superius in sylva Fridericiruthensi oritur. Haec nomen habet a Fridericirutho pago, ad secundum lapidem a Curia sito. Rivus autem scaturit ex qvibusdam scaturiginibus, et primum dicitur Rivus stanneus, eo qvod multum ibi stanni qvondam effossum dicitur. Postqvam venit Fridericiruthum, feudum Bohemicum, molendina duo agitat. Digressum inde ad aliud molendinum, qvod Tumpermuhl dicitur, fundum Brandenburgicum contingit, nomenqve induit Regnitii. Forte ab aqvis pluviis, qvarum ibi colluvie facile intumescit. Tendit vero inde ad pagum Losam, qvae ideo Losa Regnitiana audit; inde ad Tauperlitium pagum, a qvo dilapsum, et aliqvandiu progressum, infra Moschendorfium, Salae miscetur. Regnitium inferius oritur ex scaturiginibus, sub piscinis, qvas sylvestres, et infernas (Heyd- und Hoellenteiche) vocant. Sunt illae in fundo Saxonico. Regnitium, vix natum, terram attingit Brandenburgicam. Primum Grunmahlerus dicitur, id nominis usqve ad solitudinem Foehrig retinens. Ibi vallem permeat Lutschenum, cuius vallis nomen et ipse rivus suscipit. Praedium Hartmanniruthum assecutus, nomen demum Regnitii consequitur. Porro Feilitschium attingit pagum, progreditur ad ponticulum, qvi est inter Zedvitium pagum, et Curiam, ad viam regiam. Proxime hunc ponticulum rivo alii iungitur, qui, supra Zedvitium, ex scaturiginibus ortus, Zedvitio dextram versus relicto, in valle qvadam rivo Regnitio allabitur. Hunc rivum accolae etiam Regnitium appellant, non aliam ob causam, qvam, qvod, ad ponticulum Regnitianum properans, Regnitio rivo unitur. Regnitium deniqve, infra ponticulum, percurrit vallem Schameiselium, et prata inferioris Kozavii,

tan-

tandemqve Salae illabitur. Sicut ceteroquin Regnitium superius, ſic inferius, ab aqvis pluviis, niveisque, ſic fama, dictum. Propter eas enim aquas turgidum, exundat, multumque dat mali. Iam Hof Regniz Latino verbo Curia appellata eſt. Id nominis ab Antiſtitibus Bambergenſibus inditum. In horum enim dioeceſi Vrbs fuit: et Canonici Bambergenſes Plebani erant, ut vocantur, id eſt, Praeſides aedis D. Laurentii. Cauſam, cur Antiſtes, et Canonici, Oppidum ita nominari voluerint, reddit hanc Videmannus. Vidiſſe Clerum Bambergenſem incolarum eximium cultum Numinis, et amorem, atqve zelum erga res divinas. Idemque ſatis teſtari ſacellorum, coenobiorum, Xenodochii, extructionem. Maturo hinc, et deliberato conſilio nomen Curiae Vrbi inditum; *Curiam* enim (auctore Varrone, L. III, de Ling. Lat.) *locum eſſe, ubi vel ſacerdotes res divinas, vel magiſtratus res humanas curent.* Atqve omnino ex his verbis eluceſcit, eſſe Curiam vel locum publici conſilii, vel, ubi cura ſacrorum ſuſcipitur. Curia autem Vrbs, perinde ut Teutonicum Hof, cum adiectione Regnitiana dicta eſt, eandem ob cauſam, ob qvam Hof Hof Regniz: inſuper, alio cum additamento, Curia Variſcorum. Eſt enim praeterea et alia Curia, eademqve Rhaetorum, qvae et ipſa caput eſt urbium, puta, Rhaeticarum. Vid. Videmannus, et inprimis Rev. Maxime Dn. I. C. Layrizius, Progr. de Nomine Vrbis Curiae, ed. CIↃ IↃC XXCVI.

IV. Curia ab Aeqvatore gradus qvinqvaginta, minuta triginta ſeptem, ſe-

cunda triginta octo, distat: qvot autem gradibus a Meridiano primo, in incerto. Signum coeleste, cui obnoxia, Leo putatur. Insigne est itidem Leo, idemqve aureus, in clypeo nigro.

Neqve in assignanda Curiae latitudine, nec longitudine, Scriptorum consensio. Petrus qvidem Apianus, in Cosmographia, facit latitudinem Vrbis, sive elevationem poli, graduum qvinqvaginta, et minutorum viginti: qvam sententiam ex doctrina triangulorum, pariter et umbra Circuli aeqvinoctialis meridiana, Videmannus emendat, et gradus qvinqvaginta, minuta triginta qvatuor, secunda qvinqvaginta octo, ponit: emendatissimam vero rationem Pl. Rev. Dn. I. C. Layrizius, qvi gradus qvinqvaginta, minuta triginta septem, secunda triginta octo conficit, subducere videtur. Vid. Videmann. Chron. et, post eum, Venerand. Dn. Layrizius, Progr. de Latitudine, Longitudine, et Signo Vrbis Curiae, ad A. cIↃ IↃC XXXVI. Qvamvis vero nec defuerint, qvi in emetienda Oppidi longitudine elaborarent, tamen nec illa ab omnibus eadem traditur, nec ante tradi poterit, qvam unus recipiatur ab omnibus terminus, a qvo ducatur. Qvod priusqvam accidat, qvot capita, tot sensus erunt. Ceterum Apianus, qvem diximus, Curiae longitudini gradus viginti novem, minuta triginta assignat: Thomas Blebelius, in Sphaerica, gradus triginta, minuta viginti sex: Stephlerus gradus triginta

ginta duo, minuta qvadriginta qvinqve. Vid. Videman. et Laudatissimus Dn. Layrizius, Progr. adducto. Signum deniqve coeleste, item Insigne Vrbis, commemorandum. Leonem Vrbi tribuendum censet Videmannus. Probat ex mutuo consensu, itemqve ex fato probat. Cum enim nec annus, nec mensis, nec dies Vrbis conditae constet, idcirco nec dodecatemorion constare potest. Ergo Videmannus Signum ex causis adductis coniicere laborat. *Inter Leonem*, inqvit, *et Curiam, arcanus qvidam consensus datur, dubioqve procul Leo, cum Vrbs aedificaretur, in parte coeli orientali, sive Horoscopo, stetit.* Confirmare id satagit coniunctione, oppositione, et eclipsibus planetarum in Leone, atqve inde consecutis in Vrbe eventis rerum. Tum fatum in partes vocat. Ait, a Ducibus Meraniae Vrbi concessum esse, loco Insignis, Leonem coloris lutei, aut aurei, in clypeo atro, aut fusco, una cum viris duobus feris. His Dominos Veidenses turres duas adiecisse. Dum vero nos de Signo coelesti diximus, simul, eademqve opera, velut imprudentes, Insigne Vrbis exposuimus. Efficiunt illud Leo aureus erectus, et in duobus pedibus posterioribꝰ consistens, in atro clypeo; deinde duae turres; tertio duo feri homines; deniqve effigies dimidiati angeli, clypeo innitentis. Qvamvis vero stanni fabri caput molossi, tanqvam Insigne Vrbis, usurpent, tamen sciendum, illud ex Burggraviorum Norimbergensium insigni petitum esse: qvanqvam et Domini Veidenses caput molossi, galeae impositum, in insigni suo habuerint. Vid. de Signo, iuxta et Insigni, Videmannus, in Annalibus. Separatum Vrbs Vetus Insigne habet. Sunt autem illud bipalia duo decussata, et rastrum inversum, centrum bipaliorum transiens, et angelus deniqve dimidiatus, clypeo incumbens.

V. Iam

V. Iam vero propius intuemur situm. Sita Vrbs est milliaria tria ab Alto Monte Pinifero, totidemqve fere ab Salae fontibus, totidemqve a Plavia, Adorfio, Olsnitio, Sleiza, Bonsidelia. In proximo qvaqvaversum amoeno colle, nemoreqve cincta. Ad Vrbem duo pontes lapidei, unus ponticulus sublicius, super Salam strati.

Vrbs, circum circa circundata vallibus, collibus, sylvis, nemoribusqve, mirabile visentibus spectaculum. Nihil, undiqve et undiqve, prospectu amoenius. Illa vero, qvae in proximo Vrbem circumstant, memoramus. Atqve exordimur ab eo loco, unde Vrbi et origo, et nomen datum. Is enimvero Mons est Fruticeti (Staudenberg) Hic, a nemoroso colle, Sveinleiten, incipiens, ultra molam Fruticeti deficit. Hunc montem excipit Mons supplicii (Galgenleiten) propius urbem progrediens. Ei exorienti Collis Speculae adiacet. In hoc Speculae altissimae pars superest, de cuius olim fastigio Egra oppidum, ad qvintum lapidem distans, prospici potuisse fertur: Colli Speculae Mons Cloeselius(Cloesle-Berg)proximus: huic Mons Eichelberg vicinus. Vbi itur ex portula Michaelitana, ad altam semitam, prata cernuntur, in qvibus Mons ille exsurgit. Eum montem in partes duas

vallis

vallis dirimit, qvam rivulus perlabitur. Dextra Montis pars Montem Cloeselium attingit, et magna ex parte abietibus decoratur. E regione huius, ultra vallem, pars altera, similiter maiori ex parte arboribus praedita, conspicitur. Proxime hanc, ultra viam Plaviensem, Mons est Labyrintheus, abietibus, iuniperisqve convestitus. Mons ille nomen a Labyrintho cepit, terrae Daedalia inciso manu. Labyrinthus porro spatium rotundum est, qvod abietes efficiunt. Vltra Labyrintheum Montem, paulum sinistram versus, est Sylvula Centurionis. Inter eundem Montem, et Sylvulam eandem, decurrit rivus, qvi a cancris nomen suum accepit. Venit ille a Gumpertirutho pago, praeterit Sylvulam, progressus occidentem versus, prope Nosocomium, in Salam se insinuat. Ceterum, infra Montem Labyrintheum, adeoqve propius Vrbem, patet mons Lapis Amoenus. Hic vero sic dicitur propter saxum geminum, positum in clivo huius Montis. Atqve ab hoc ipso saxo mons nomen adeptus est. Lapis autem ipse amoenus dicitur, qvia ex eo loco tota, non solum Nova, sed qvoqve Vetus Vrbs, summa cum voluptate pervideri potest. Vbi desinit Centurionis sylvula, ibi Mons Trappenberg incipit, leviter editus. Montis huius latus sinistrum stipat Mons Studiosorum, qvi, non ita procul, ab inferiore Ptochotropheo surgens, usqve ad ponticulum Regnitianum pertinet. In cuius medio Montis qvod literati iuvenes, in Academiam abituri, sibi mutuo valedicunt, ab his Monti nomen. Vltra Salam Collis Kozaviensis cernitur, cui nomen ab Inferiore Kozavio pago haeret: inde Prata Hofeckiana: inde Mons Daemonicus. In extremo huius Montis, qvod prata spectat, binae rupes sunt se ferme mutuo contingentes. Prior rupta, et qvasi partes in duas fissa,

S Fau-

Fauces angustissimae, eaedemqve declives: hae infernus dicuntur. In rupis autem alterius fastigio simulacrum vestigii ostenditur saxo impressi, qvod immanem velut calceum praefert. Idqve simulacrum Vestigium Daemonis (Teufels-Tritt) dici svevit. De ipso Monte, cur Daemonis nomen teneat, causam Videmannus affert, partim, qvia ater genius priscis temporibus multas ibi praestigias et ludos fecerit, ac praetereuntes, nocturno inprimis tempore, spectris terruerit, in Salam fl. deduxerit, laeserit: partim, qvia horrenda ipse specie visus sit, et aliqvo tempore pede uno in Monte Eichelberg, altero in Monte Daemonico constiterit: indeqve etiam in hoc Monte vestigium relictum esse. Rationem autem, cur fauces infernus appellatae sint, eam reddit, qvod fortasse ibi spectra velut habitaverint, atqve ex eo loco viatoribus apparuerint. Vid. Scriptor iste, Annal. Vrb. Cur. E regione Montis Daemonici iacet Schoelenberg. Sub hoc Monte, inde a fullonica, inter hanc, et illum Montem, semita datur, ducens ad Montem Daemonicum, et Kozavium Inferius. Iam supra Montem Schoelenberg, sed tamen sinistrorsum, Via Alta, Culmbacum ducens, existit. Inter Viam, et Munsterum sylvulam, vallis est, qvae Pratum Clericorum (Pfaffenlohe) dicitur: Munsterus autem nemus est exiguum, amoenissimumqve. Non procul inde Alzenberg collis, et Sylvula Alzenbergica. Ex utriusqve regione Mons patet Sveinleiten, iucundissimo item nemore vestitus, interiectis pratis, perinde ac Sala flumine interlabente, a colle, nemoreqve Alzenbergico separatus, Monti ceteroqvin Fruticeti contiguus. De pontibus addimus, eorum esse tres, qvibus Sala iungitur: duos maiores, eosdemqve lapideos, unum sublicium. Lapideorum unus superior est, inferior alter.

Ad illum per portam superiorem, perqve Vrbem Veterem: ad hunc per portam inferiorem itur. Inferior pilis tribus, superior undecim fulcitur. In superiore, fidem superat, qvod homines tres constituti se invicem videre neqveant. Pons, aut potius ponticulus, sublicius, Alta Semita (der Hohe Steig) audit, pilis novem lapideis insistens. In eum ex portula Michaelitana itur, via illa, qvae inter balneum medium, et molendinum Michaelitanum, patet. Vltra ponticulum prata sunt, in qvibus mons Eichelberg exoritur. Via ceteroqvin super eodem ponticulo ad Leimitium pagum deducit.

VI. Suburbia tria, qvorum unum nomen Suburbii praefert, alterum Aedificiorum Fossae Impendentium nomine venit, tertium Vicus Piscatorius appellatur. Portae Vrbis Novae duae, portulae autem tres. Portarum una Superior, Inferior altera: Portularum una Balneatoria, altera Michaelitana, tertia Xenodochialis nuncupatur. Vrbem eandem murus, et fossa, ambiunt. Illud etiam memorabile, Salam flumen, totum Vrbis latus, qvod Solem spectat orientem, alluens, in alveos duos divisum, ex maiore Suburbii parte Insulam formare.

Suburbium proprium unica platea constat. Aditum Porta Inferior aperit. Inde recta in Suburbium tenditur. Ad sinistram Xenodochium: ad dextram diversoriumcernitur. Vltra haec aedificia ponticulus visitur. Vltra hunc, ad dextram, Hortus Novus Pharmaceuticus. Atqve hic Insula initium capit, reliqvum Suburbii complectens. Sub Insulae, pariter et Suburbii exitum, Pons cernitur Inferior: ante hunc porta, ab ipso ponte nomen indepta. Ceterum hocce Suburbium aedificia comprehendit triginta octo. Suburbium Aedificiorum Fossae Impendentium (Teutonice: auf dem Graben) divisum est in Suburbium apud molendinum Michaelitanum (auf dem Graben gegen der Cappel-Mühle) et in Suburbium apud fullonicam (auf dem Graben bey der VValckmühle) Illi exortum donat molendinum, exitum ingressus Suburbii proprii: huic idem Suburbii ingressus initium, fullonica vero terminum. Porro illud aedificia viginti qvatuor: hoc triginta tria numerat. Suburbio ad molendinum Hortus Vetus Pharmaceuticus continetur. Vicus Piscatorius longissima serie domos continuat, Veteriqve, perinde ac toti propemodum Novae Vrbi, versus orientem Solem, obtenditur. Itaqve incipit in extremo Oppidi Veteris, sub montem Clausium, et Templum adeo Laurentianum, ultra dimidium Vrbis Novae protractus. Terminus balneum est medium, qvod proxime excipitur a molendino Michaelitano. Vbi Vetus Oppidum relinqvit, ibi Monticulus est, cui panni textorum columellae, a qvibus pannum, siccandi causa, suspendunt (der Rämberg) nomen fecerunt: idemqve collis, ex Vico Piscatorio exsurgens, usqve ad superiorem Vrbis Novae portam ascendit. Vicus autem ille aedificia complectitur qvadraginta. Portae, veluti ostendimus, duae dantur: Superior, et Inferior. Atqve hae Vrbis longitudinem de-

fit

signant. Superior Vrbem Veterem, atqve adeo meridiem, spectat: Inferior septentriones. Sed latus Vrbis orientale duae portulae exornant, unica septentrionale. Prima est Balneatoria, qvae, per viculum Vrbis balneatorium, in Balneum summum perducit, non longe a Monticulo panni textorum discreta: secunda Michaelitana, post aedem D. Michaelis, viam aperiens ad cognomine molendinum: tertia Xenodochialis, in medio Vrbis latere septentrionali, deducens in Suburbium, qvod Suburbium ad fullonicam appellitatur. Eiusdem e regione portulae molendinum Xenodochiale situm est. Pomoeria Vrbis, bello ultimo diruta, neqvedum refecta: muri superant: fossa deniqve inculta iacet.

VII. In Vrbe Vetere plateae tres, viculi qvatuor: in Nova autem fora tria, plateae octo, viculi duodecim. Tum, in Vetere, crater unus, unus item puteus: in Nova crateres octo, putei qvatuor.

In Vrbe Vetere est Platea Lata, cuius ingressus proxime a porta superiore Vrbis Novae abest. Haec, aliqvantum progressa, in fauces duas, sive, Vias divisa est Profundas, saxo incisas. Dextra Superior, sinistra Inferior cognominatur. Vbi Superior incipit, ibi e regione Ptochotropheum superius iacet. Inferior, in utroqve latere, semitam habet, qvae Semita Templi dicitur. Semita sinistra, paululum progressa, venit ad coemiterium Laurentianum. Cis murum coemiterii occurrit viculus transversus, cui nomen est Viculus Mortuorum, qvi, ab semita

 coeptus,

coeptus, in orientem versus, Vicum petit Piscatorium. Ab hoc revertimur ad Templi Semitam. Post aliqvantum intervallum, porta Templi superior spectatur. Ex huius regione, contra orientem, porta opposita, aditum coemiterii Vico Piscatorio adaperiens: versus autem occidentem, trans fauces, Viculus Apum. Hic usqve ad Viam Profundam Superiorem pertinet. Non procul a porta Templi superiore, in extremitate sinistrae semitae, scala est lapidea graduum duodecim, qvae in Viam Scholasticam (Teutonice, bey der Schule) deportat. In hac Via aliqvantum progressus aspicis Portam Templi inferiorem, ad medium coemiterii. Ex Portæ regione, dextram versus, Schola sita est. E regione autem Scholae extremae portula Templi datur. Iam e regione portulae, in ipso coemiterio, Templum D. Laurentii collocatum est. Extra coemiterium, nec longe ab ea, qvam diximus, portula, qvo loco via Profunda cessat, scala est alia lapidea, eademqve graduum triginta. Pone Scholam, versus occidentem, stratus est fornix super fauces, idemqve ad domum venatoriam viam monstrat. Fornici autem porticula est superimposita. Ceterum sub ipso fornice Via Profunda, parum porrecta, mox profundum amittit, et ad dextram flectit, et mox Viae Profundae Superiori unitur. Vnitur vero ibi, ubi diversoria duo, in duabꝰ suis extremitatibꝰ posita, attingit. Via etenim Profunda Superior, diversoria illa praeteriens, Viam Inferiorem, ex eorundem intervallo emicantem, sinu suo excipit. Diversorium sinistrum est ad signum Rubri Caballi, dextrum vero Scharfeck cluit. Horum e regione, ultra Viam Profundam Superiorem, viculus est, qvem Canaliculum (Teutonice das Rinnlein) appellant. Per eum enim viculum defertur rivulus, in campis circumiectis ori-

undus.

undus. Via Profunda Superior, cum Inferiore coniuncta, paulum etiamnum procedit, et tum in latere sinistro viculum aperit, qvi, propter sublimitatem, Mons vocitatur. Idemqve Mons, sinuoso suo flexu, ad Fontem Carrificum perducit. Hic fons proximus Templo est, aqvam dulcem, ac persalubrem, propinans. Supra illum ceteroqvin rivulus praeterfluit. Fons cognomen sustinet propterea, qvia is viam ad pontem superiorem lapideum, adeoqve simul ad loca supplicii, commonstrat. Rivulus, ex prato Clericorum profectus, iuxta pontem superiorem lapideum, in Salam immergitur. Demum vero subiungim9, esse aedificia in Vrbe Vetere in universum centum sexaginta sex. Nunc vero, relicta Vrbe Vetere, Novam ingredimur. Haec velut in partes duas, inde a porta una ad alteram, divisa. Pars dextra complectitur fora, qvae unam longam plateam, totum per Oppidum patentem, prae se ferunt. Vnum forum dicitur Forum Superius, alterum Medium, tertium Inferius, item, Figulorum. Superius ad portam superiorem exoritur, et ad Curiam, ubi platea transversa Coenobialis prominet, terminatur. Medium a Curia, perinde ac platea Coenobiali, usqve ad plateam latrocinalem, similiter e transverso conspicuam, extenditur. Forum Inferius, ab exitu plateae ληϛρικῆς, usqve ad portam inferiorem progreditur. Illud est maximum, istud minus, hoc minimum. Praeter Fora, qvae enumeravimus, viculi aliqvot, et vicus qvidam, in eodem Vrbis dextro latere, e regione Fororum trium, extant. Primus qvidem viculus est Balneatorius, qvi iter, per portulam cognominem, ad balneum superius ostendit: alter Via Templi, qva Templum D. Michaelis freqventatur, plateae Coenobiali oppositus: tertius est Viculus

ad

ad Templum, in longitudinem, versus septentrionem porrectus, idemqve aedificiis Parochialibus obtenditur. Idem ille in vicum, eundemqve latum, abducit, qvi Orla appellatur. Orlae pars est Forum Pecuarium, qvod ab Orla reliqva, per imminentem ex Foris Viculum Pecuarium distingvitur. Idemqve Viculus est viculus qvartus, et vico latrocinali propemodum adversus, qvippe paulo propius portam inferiorem situs. Nunc autem sinistram Vrbis partem lustramus. Ibi, a porta superiore, usqve ad vicum Coenobialem, platea satis longa patet, dicta Platea Posterior. Ea utrinqve complures viculos transversos prospicit. Sinistram versus, proxime superiorem portam, Viculus Bruga est. Non procul hinc Argenteus, qva ad arcem itur. Haud procul inde, sed dextrorsum, Viculus Acuum. Contra, sinistrorsum, similiter haud procul, Viculus Arcis, e regione Arcis. Vicissim, non procul, ad dextrum latus, Viculus Bohemicus. Non longe hinc, sinistrorsum, Viculus parvus Coenobialis: atque huic e diametro oppositus Avenarius Viculus. Vltra hunc, ubi perpaulum Platea Posterior procedit, eam praetexta Platea Coenobialis abrumpit. Ceterum, in Plateae Posterioris sinistra extremitate, macellum in oculos incurrit. E regione huius, trans vicum Coenobialem, Platea est Canina. Dixeris redintegratam Plateam Posteriorem. Non longe a Canina, ad latus, et qvidem propius Coenobia, Viculus Boum. Iam, inter hos viculos, et domicilia e regione sita, versus Plateae Posterioris exitum, Vicus Coenobialis transversus, inde a Coenobiis, usqve ad Curiam, ac fora, panditur, Forum inter Superius, Mediumqve, limes. Restant plateae duae aliae, itidem transversae: Iudaeorum, et Latrocinalis, in

Portam

Portam Inferiorem versus. Vtraqve igitur inter Caninam, Boumqve, plateas, et aedificia transversa, exporrigitur, ac tantum non una esse videtur. Exitus Caninae utramqve disterminat, ita, ut sinistra sit Iudaeorum, dextra vero Latrocinalis. Eadem Canina, ultra principium utriusqve perpaululum etiamnum durans, portulam Xenodochialem adit. Vicus Iudaeorum, ab exitu Canini incipiens, ad aedificia Gymnasii pertingit: Latrocinalis, apud vicum eundem ortus, usqve ad Forum Figulorum, qvod, ut paulo ante dictum, designat, tenditur. Duae item plateae, ad latus sinistrum Plateae Posterioris positae, adhuc repraesentandae. Ratione adeo illius in longum sunt porrectae: at ratione Coenobialis, et Iudaeorum, Platearum, transversariae. Prior Area Arcis dicitur, non procul a porta superiore, sub Bruga viculo, ingressa, indeqve Arcem praetervecta, apud Coenobiorum initium nomen suum amittit. Exinde altera initium capiens ad Lyceum perducitur, et Via ad Coenobium nominatur. Aedificia totius Vrbis Novae computata efficiunt numerum trecentorum viginti sex. Extremo, anteqvam pensum hoc absolvamus, crateres, aeqve ac puteos, leviter perstringere animus. In Vrbe Vetere crater unus, unus pariter puteus; ille e regione Ptochotrophei superioris, hic sub ingressum Vrbis. In Vrbe Nova crateres octo, et altero tanto pauciores putei inveniuntur. Qvod ad crateres attinet, eorum sigillatim in Foris sunt qvatuor: in superiore lapidei duo, in medio lapideus unus, in Foro Figulorum unus ligneus: in Vico Posteriore unus itidem ligneus, ac lapideus unus: in Vico Coenobiali unus lapideus: in Platea deniqve Latrocinali unus ligneus. Puteorum, ut diximus, sunt qvatuor: unus in Foro superiore, proxime portam: unus in Orla,

 et spe-

et ſpeciatim ea in parte, ubi forum eſt pecuarium: duo deniqve in area Lycei: ad unum omnes lignei.

VIII. Curia olim habuit Sacella tredecim: D. Gangolphi Martyris, D. Nicolai, D. Sigismundi, D. Viti, D. Erhardi, D. Hieronymi, D. Michaelis, Qvatuordecim Opitulatorum, D. Ioannis, Omnium Sanctorum, D. Annae, D. Eliſabethae, S. Sepulchri; et Templa tria: D. Laurentii, D. Franciſci, et Xenodochiale: habet hodie Templa qvatuor: unum, D. Laurentii, in Vrbe Vetere; duo in Vrbe Nova: D. Michaelis, et D. Franciſci; unum deniqve Xenodochiale, in Suburbio.

Vrbis Novae aedificia praeſtantisſima, qvippe marmorea. Marmore ſtrata Curia Vrbs, aedificata ex marmore. Qvo iuſtius eius aedificia deſcribere ingredimur, ſed ita tamen, ut illorum delectum habituri ſimus. Publica referre iuvat, cum ſacra, tum profana: dehinc privata qvaedam, publicis commodis conſecrata. Sacrorum, ſi usqvam alibi, certe Curiae, pro modo Vrbis, copia. Atqve

hinc

hinc de summa et singulari Curiensium pietate existimari potest. Sacellum D. Gangolphi Martyris situm fuit in extima Vrbis Veteris parte, versus meridiem, paulum ultra Laurentianum Templum, prope pontem saxeum Salanum, qva iter patet commeantibus in Bohemiam, et Boioariam. Tempus, qvo esse coepit, ignoratur. Fuisse primos conditae Vrbis annos, Pl. Rev. Dn. Layrizius autumat. Qvippe situm fuit ad viam regiam, loco commodo, freqventatum saepe, et honoratum Missis, qvas vocant, donisqve oblatis. Cinxerunt olim undecim procerae salices, character Vrbis. Reddita Evangelii luce, a cultoribus destitutum, et vetustate consumptum, emptionis iure cessit Ioanni Groenio, circiter A. CIↃ IↃ XXXVIII, et frumenta, lignaqve asservavit. Emit deinde Gvolfg. Oberlenderus, in horreum convertens: porro alii, qvi condendis frumentis huc usqve destinaverunt. Vid. Dn. Layrizius, Progr. de Templis Curiensium Antiqvis, ed. CIↃ IↃC XXCVIII. Conf. Videmannus, Annal. Vrb. Cur. Sacellum D. Nicolai, in honorem Episcopi Nicolai, in eadem Vrbe Vetere extructum. Extructum autem versus occasum Solis, ad eam viam, qva in Franconiam, et adiacentes provincias, itur. Annus extructionis nescitur. Stetit certe ante annum CIↃ CC XCVI. Conflagravit tertio post anno, i. e. CIↃ CC XCIX, postea reaedificatum. Anno autem CIↃ CCCC XXX ab Hussitis igne deletum, tribus subseqventibus annis, ex cineribus resuscitatum. Exorta Evangelii luce, lues Gallica ab Hispanis ex India affertur: qvae cum anno circiter CIↃ IↃ XXXVII Vrbem infestaret, iuxta Fanum istud extructum est Ptochotropheum, pauperibus, morbidisqve hominibus, concessu Serenissimi Marchionis Georgii, habitari coeptum. Illud vero Ptochotropheum, A. CIↃ IↃ LIII,

 bello

bello orto, una cum Fano, propter hostem adventantem, studio evertitur, sed, A. CIↃ IↃ LXIII, solum ex cineribus excitatur. Vid. CL. Dn. Layrizius, Progr. adducto, et cum eo compon. Videmannus. Sacellum D. Sigismundi collocatum fuit extra Vrbem, in occidente eius plaga, e regione utriusqve Monasterii, ad latus Fossae sclopetariae, qvae hodieqve, cum omnibus adiacentibus arvis, Fossa Sigismundi appellatur. Freqvens olim peregrinatio eo suscepta, inprimis Encoeniorum die, id est, die primo festo post ferias Paschatos: qvo tempore immensa hominum vendentium, ementium, compotantiumqve, pro genio aevi, turba confluxit, Missaeqve multae celebratae sunt. Natalis Sacelli huius non manifestus, sed tamen fatalis, qvi incidit in annum CIↃ IↃ XVIII. Tunc enim, indultu Serenissimi Principis Georgii, dirutum est, ut caementa recens suscitando Ptochotropheo superiori, de qvo antea mentionem fecimus, adhiberentur. Ceterum eo loco hodie comparet Domus sclopetaria. Vid. Dn. Layrizius, et Videmannus. Sacellum D. Viti ubi fuerit, qvove anno conditum, aut antiqvatum, non constat, nisi qvod ante annum CIↃ CCCC XLII stetit. Vid. Laudatissimi Auctores. Sacellum D. Erhardi ultra Suburbium. Tempus, qvo fundatum, ignoratur. Postero tempore conversum est in Ptochotropheum inferius. Sacellum D. Hieronymi fuit in Templi veteris Michaelitani exteriore ambitu, sed, anno CIↃ CCCC XXC, cum Templum illud redderetur amplius, loco motum, in eiusdemqve utilitatem versum. Ne tamen Fani memoria perderetur, Hertindus de Stein, Parochus tunc temporis Curianus, septimam Templi cellam, sumptu suo excitatam, novum Hieronymi Sacellum appellari voluit. Vid. Dnn. Scriptores. Sacellum D. Michaelis, A. CIↃ CC XXX,

tempore Ottonis M. Ducis Meranii, conditum, et CIↃ CCCC LXXIX amplificatum, pariter et aedes parochialis Vrbis Novae factum. Vid. Videmannus, qvi tamen diverso loco annum millesimum qvingentesimum septuagesimum secundum inaugurationi huic assignat. Sacellum XIV Opitulatorum qvam proximum Parochiali Xenodochii Templo fuit, deinceps in eiusdem Sacrarium commutatum. Nomina illorum Sanctorum haec circumferuntur: Georgius, Blasius, Erasmus, Pantaleon, Vitus, Christophorus, Dionysius, Cyriacus, Achatius, Eustachius, Aegidius, Margaretha, Barbara, Catharina. Vid. iidem. De Sacellis D. Ioannis, et Omnium Sanctorum, nihil scriptum reperitur: tantum in vetusta qvadam epistola, scripta A. CIↃ CCCC XXXII, fit mentio. V. Videman. Sacellum D. Annae probe distingvendum est a Monasterio D. Clarae, iudicio Maxime Rev. Dn. M. Io. Christophori Veissii, Gymnasii Curiensis olim Rectoris, Programmate de Coenobio ad S. Claram, ed. CIↃ IↃC XCIII. Eius verba haec sunt: *Nomen qvidem qvod primum concernit, vocant illud* (scil. Coenobium S. Clarae) *qvidem aliqvi S. Annae, sed perperam: templum enim, non monasterium hocce, dicatum Virgini illi fuit.* Sacellum autem Annae Coemiterio Franciscanorum fuit impositum, et qvidem circiter annum CIↃ CCC LI, statis Missis et Concionibus notum. Longitudo fuit passuum qvinqvaginta quatuor, latitudo viginti duorum; sed altitudo muri, etiamnum superantis, passuum qvadraginta. In medio fere latere australi turricula, adhuc salva superest. Paries orientalis occidentali aedis Franciscanae est contiguus. Vtraqve aedes, Annae, pariter et Francisci, cryptoporticus subterraneas habuit mutuas. Mutua item supra terram fenestra, per contiguum parietem transsiens, mutuam dedit lucem. Lamina item ferrea

 cla-

clathrata, contiguo inserta parieti. Structura Fani ceteroqvin magnifica, firmissimum caementorum robur, fornices operis mirandi. Immania tam vasti corporis rudera hoc testantur. Stetit Templum usqve ad annum CIↃ IↃ XLVI. Hoc enim anno Abbatissa ultima moritur, virgines sacrae, accensa luce Evangelii, dilabuntur, aut matrimonia celebrant. Tum vero impii, ac maleferiati qvidam homines, zelo insano, petulanterqve, Templum spoliare, et diripere, sacrum apparatum omnem confringere, conqvassare omnia, deniqve in Abbatissarum tumulos saevire. Post haec tempora, cum nemo curam Templi gereret, praesertim exorto bello Germanico, laqvearia, fornicesqve, et ipsum tectum, tandem corruerunt: nihilqve hodie reliqvum, praeter parietes, qvi et ipsi ruinam minitantur. Vid. Venerand. Dn. Layrizius, Progr. de Templorum Curiensium Antiqvorum Vltimo, S. Clarae inscripto, ed. A. CIↃ IↃC XXCVIII. Conf. Videmannus, qvi praeterrea perscribit, materiam, et caementa Fani, Gymnasio extruendo, et commodis Magistrorum habitaculis figendis, adhibita fuisse, A. CIↃ IↃ XLV. Sacellum D. Elisabethae, in honorem S. Elisabethae Thuringae, proxime Templum D. Laurentii, in coemiterio est positum. Qvo anno, incertum: certum tamen, hoc accidisse ante annum CIↃ CCCC XXXII. Ex ea postmodum aedicula ossarium excitatum. Anno autem CIↃ IↃ LXXV, qvo anno coemiterium ad D. Laurentii amplificabatur, ipsum etiam ossarium abolitum. Vid. Videmannus. Sacellum S. Sepulchri extructum A. CIↃ IↃ IX, trans Salam, versus orientem Solem, ad radices montis Eichelberg. Extructum vero a Casparo Geilsdorfio, Consule Curiense. Extructum porro in honorem Sepulturae Christi, et S. Crucis, atqve solenni ritu, anno eodem,

a Ca-

a Casparo, Antistite Vicario Bambergensi, inauguratum. Fuit in eo Sacello simulacrum Sepulchri Servatoris, ad instar Hierosolymitani fabrefactum. Fuit enim incisum uni saxo. Item mensura, situs, forma Hierosolymitani, distantia deniqve eadem ab urbe, servata. Simulacri effigiem qvidam Martinus Mullerus, Monachus Curiensis, tertium Hierololymis reversus, attulit. Sacellum anno CIↃ IↃ LIII, coorto bello, ne obsidentibus stationem opportunam praeberet, succensum, et in lapides versum, e qvibus hodie rarissima rudera supersunt, ita, ut, praeter solum nomen (das Heilige Grab) nihil fere amplius sit reliqvum. Vid. Videmannus, itemqve Dn. Layrizius, l. d. Missa vero nunc facimus Sacella, et Templa maiora explicata damus. Horum autem tria priscis temporis fuerunt: D. Laurentii, D. Francisci, et Xenodochiale. Templum D. Laurentii eminet in Monte Clausio. Coemiterium fuit praedonum latibulum. Latibulum dedit occasionem exscindendae sylvae: dedit condendo viculo: dedit deniqve excitando Templo. Aeqvum censuit Maiorum pietas, ut, ubi latronum fuisset domicilium, ibidem, pulsa profligataqve impietate, cultus divini sedes, atqve domicilium collocaretur. Olim autem minus hodierno fuit, aucta deinde accolarum multitudine, Sacellis S. Ioannis, et Omnium Sanctorum, item Sacrario Sacerdotum, amplificatum, circiter A. CIↃ CCC XCII. Tota vero aedes, iniecto ab Hussitis igne, conflagravit, A. CIↃ CCC XXX, biennio seqvente reaedificata. Ceterum dicta fuit Ecclesia Parochialis, atqve ad eam Sacella, S. Michaelis, et S. Nicolai, pertinuerunt. Vid. Videmannus, et Dn. Layrizius, Progr. de Templorum Curiensium Antiqvissimo, in Veteri Vrbe sito, et D. Laurentio dicato, ed. A. CIↃ IↃC XXCVIII; item seqvente, de eodem Templo,

Templo , ed. A. eodem. Templum Coenobiale hinc exponendum. Illud vulgo appellatum S. Francisci Fanum, item Ecclesia S. Crucis, attestantibus literis indulgentiam impertientibus, datis circiter annum CIↃ CC XCII. Forte, qvia Monachi initio crucem aliqvam eo loco erexerunt, deinde pro peccati remedio venditarunt. Fuit tamen idem Templum et dicatum B. Virgini Mariae. In aliis enim literis indulgentiae, datis A. CIↃ CC XCIII, dicitur extructum in honorem Gloriosae Virginis Mariae, et Sanctae ac salutiferae crucis. Imo dicatum pluribus Patronis, ac Matronis. In literis enim aliis, datis CIↃ CC XCVII, mentio fit B. Virginis Mariae, ac Sanctorum, Francisci, Antonii, et S. Clarae. Ceterum dedicatum, consecratumqve Templum, teste antiqva schedula, die festo SS. Trinitatis, A. CIↃ CCC LXXVI. Vid. Progr. Dn. M. Io. Christoph. Veisii, de Templi Coenobialis Nominibus, ed. CIↃ IↃC XCII. Conditores, et Amplificatores, Domini Veidenses fuerunt, sub qvorum imperio aedificii fundamenta iacta: Comites Orlamundani, qvi in structuram aliqvid sumptus fecerunt: Albertus, Marchio Brandenburgicus, qvi subsidium dedit ad Coenobium instaurandum: Ioannes, Dux Megapolitanus, qvi aedis incrementa liberaliter adiuvit: Civitas Curiensis, qvae similiter opibus suis aedem ornavit: deniqve complures Eqvites, ac Cives, qvi donis pietatem suam comprobarunt, qvos recenset Dn. Veisius, Progr. de Templi Franciscani structura, ed. CIↃ IↃC XCII. Iactis fundamentis Videmannus annum CIↃ CC XCII assignat. Post annum CIↃ IↃ XXXI aedis amplificandae cogitatio suscepta. Incitamento fuit freqvens hominum piorum largitio. Henricus inprimis Veidensis, vestigiis insistens pientissimae Matris, Margarethae Vttenhofiae, dilatando aedi-

aedificio magnam argenti vim impendit. Exemplum secuti Eqvitum, Civiumqve opulentorum, multi. Nec tamen ante annum CIƆ CCC LXXVI. perfecta sunt omnia, qvippe qvo demum tempore dedicatio facta. Totum fere Templum, A. CIƆ CCCC XXXI, ab Hussitis igne deletum. Reparatum fata eadem habuit, A. CIƆ CCCC LXXVIII. Nam sacra virgo, ut libidinis suae incendium restingveret, clam supposito igne, incendit. Grassatumqve latius incendium, contiguum Francisci Monasterium, et vicinas aliqvot domos, depavit. Postero vero anno refecta, et restituta omnia. Spatium Templi internum longitudine pedes centum sexaginta septem, latitudine septuaginta novem, altitudine circiter qvadraginta aeqvat. Vid. Dn. Veissius, l. d. Conf. de incendio ultimo, Dn. Io. Christophori Layrizii Progr. de Religione Curiensium Pristina Papaea, ed. CIƆ IƆC XXCVII. De Altaribus, qvibus olim scatuit, videsis Progr. separatum Dn. Veissii, de Altaribus ad S. Franciscum, ed. A. CIƆ IƆC XCII. De Monumentis Sepulchralibus Templi Franciscani aliud eiusdem Progr. ed. A. eodem. Postremo de Templo Xenodochiali nobis videndum. Dictum hoc, cum adiectione, D. Mariae Virginis. Nam ipsum Xenodochium Hospitale S. Mariae Virginis dictitatum. Testantur illud literae Henrici, Advocati Veidensis: testatur inscriptio Germanica, Prothyro Xenodochii, spectante Vrbem, A. CIƆ IƆ XXCI, addita, et A. CIƆ IƆC XXCVI renovata: testatur insigne Xenodochii, qvod, in libro fundationis, pictam, cum Filiolo, Mariam exhibet, sub qva pons, et duae villae conspiciuntur, cum epigraphe:

Reginae Coeli qvi servit mente fideli,
Ex omni poena trahit illum Virgo Serena:

testatur deniqve sigillum, epistolae, in scrinio pauperum asservatae, affixum, et eiusdem B. Virginis icona praeferens, ita tamen, ut sub illa aegroti cuiusdam, in lectulo decumbentis, effigies simul conspiciatur. Sed antiqviores literae Henrici, qvem diximus, Veidensis, qvippe datae A. cIↃ CCC II, Xenodochium appellant Hospitale S. Spiritus, et D. Mariae Virginis. Fundatores fuerunt Advocati Veidenses, et Plavienses, Comites Orlamundani, Eqvites Rabensteinii, item Schutfeldius Civis, Civesqve alii. Videmannus putat, aedificationem Templi Xenodochialis, proinde ac Sacelli XIV, Opitulatorum, coeptam esse circa annum cIↃ CC LXVIII Xenodochium autem iam circiter annum cIↃ CC LX conditum. Annus primus aedificationis, pariter et dedicationis, incertus: id vero certum, Templum inauguratum esse prima post Sacrum Michaelis die Dominica. Murus longitudine pedes sexaginta qvinqve, latitudine qvinqvaginta, altitudine deniqve viginti octo exaeqvat. Vid. haec in Dn. Veissii Progr. de Templi Xenodochialis Onomathesia, et Aedificatione, ed. A. cIↃ IↃC XCII. de Templi eiusdem Ornamentis internis, in Progr. seqvente, ed. A. cIↃ IↃC XCIII. Tantum de Templis antiqvis dixisse satis sit: ab iis nunc iam ad nova nos conferimus. Eorum pariter qvatuor conspiciuntur: ex his tria iam olim fuerunt: hodie tantummodo magis exornata. Cumprimis Coenobiale, qvod, A. cIↃ IↃC XCV, eiectis idolis, expolitum, et A. cIↃ IↃC XCVI, d. II Iun. dedicatum fuit. Vid. Supplementum Chronici Videmanniani Iodoci Kiselingii. Templum autem D. Michaeli inscriptum ceteris Vrbis Novae Templis multo est recentius, et serius ex Sacello Templum Parochiale factum. Idem vero hodie non tantummodo Parochiale est, sed

Tem-

Templorum omnium praecipuum. Olim Angelo Tutelari creato dicatum, hodie Archangelo Michaeli, Domino IESV CHRISTO. Conſtat id ex fronte Templi, ubi haec verba leguntur: MICHAEL ARCHANGELVS. Aetas Templi eadem, qvae Novae Vrbis. Dies adeo natalis in annum CIↃ CC XXX incidit. Ergo et iidem fundatores, qvi eiusdem Vrbis. Huius autem conditores fuerunt Ottones, Duces Meranii. Credibile, Cives Veteris, Novaeqve Vrbis, diverſis, diſtantibusqve aedificiis diſcretos, diverſas Parochias qvaeſiviſſe. Sed manſit tamen nomen, pariter et honos, matris penes Templum Parochiale Vrbis Veteris, per ſecula duo, et dimidium. Primo itaqve Templum D. Michaelis Sacellum fuit. Locus, ubi erectum, angulus Vrbis orientalis, petrae innixus, fere in medio Vrbis latere. A foro medio, per viculum, qvi Via Templi dicitur, ad Templum hocce aditus patet, idemqve viculus, Templum praeteriens, per portulam Michaelis, extra Vrbem egreditur. A. CIↃ CC XCIX Sacellum Michaelis incendio conflagrat, una cum Templo Laurentiano, et Sacello Nicolai. Pleraqve enim Veteris, Novaeqve Vrbis aedificia tunc exuſta. Fanum noſtrum, triennio ſeqvente, non modo ex favillis reluſcitatum, verum etiam, ſeptentrionem verſus, pariter et Solis exortum, amplificatum, et, ſubſecuto tempore, magis magisqve exornatum, et A. CIↃ CCC XXCVIII dedicatum fuit. Rurſum vero ab Huſſitis, immiſſo in partem ſuperiorem igne, deletum, A. CIↃ CCCC XXX; ſed poſt paulo deinceps reparatum. Ab A. CIↃ CCCC XXCV, qva longitudinem, qva latitudinem, prolatum, dimidia prope ſui parte factum longius. Ab eodem tempore cellis novem interioribus augeri coeptum. A. CIↃ CCCC XXCVI denuo cultui publico ſacratum, atqve, tot au-

ctum accessionibus, ex eo tempore, pro filia, mater aedis Laurentianae factum. Idem illud Templum, ab anno CIↃ IↃ XII, fornicibus, novisqve operibus instructum mirifice, et expolitum, sed anno demum CIↃ IↃ LXXII omnibus numeris perfectum redditum, iterumqve dedicatum. Illo simul tempore, et qvidem die XXVII Iunii, die Dom. octava post Trinitatis, in qvam diem inauguratio incidit, orta hodieqve superstes processio, qva integer coetus incolarum, praeeuntibus Scholis, serto, ac flore ornatis, seqvente Venerando Sacerdotum Ordine, Proceribusqve Vrbis, et Civibus qvibusvis bonis, ex aede Franciscana, aedem Michaelis, inter hymnos, et gaudia petit. Cum anno CIↃ IↃC XXV, die VI Novembris, Vrbs gravissimum incendium pateretur, et, praeter Curiam, aedificia centum sexaginta duo igne depascerentur, tectum qvoqve, flamma correptum, deflagravit, qvod deinde primo scandulis, sed ab anno CIↃ IↃC LIV lapide Armenio stratum est. Totius Templi, qvoad domum ipsam, altitudo, pedibus XXCIV, murus, cui tectum est superpositum, pedibus XLVII, et operis totius longitudo pedibus CXLI constat. Vid. Dn. Layriz. Progr. de Templorum Curiensium in Vrbe Nova Primario, D. Michaelis, ed. A. CIↃ IↃC XXCVIII. De interiore autem Templi structura, et ornatu, reliqva, qvae de eodem Templo exponunt, Programmata sex, edita A. CIↃ IↃC XXCIX, CIↃ IↃC XC, CIC IↃC XCI. Conf. Videm. hinc inde.

IX. Habuit et duo Coenobia, eademqve in Vrbe Nova: D. Francisci,

et

et D. Clarae: habet celebre Gymnasium: habet Xenodochium: habet Ptochotrophea duo, superius, et inferius: habet deniqve Nosocomium.

Monasteriorum unum superius est, alterum inferius: illud S. Clarae, hoc D. Francisci. Coenobium enim S. Clarae positum est Arcem inter, et Coenobium alterum: loco eo, ubi antea fuerat sedes ac domicilium generosissimae Moerrungiorum gentis. Reliqvum, qvod ex antiqvioribus superest, aedificium, tetragoni longi formam referens, pedes in longitudinem porrigitur cxv, in latitudinem xxciii, fornicibus contiguis circum circa pervium. Opus, si fundamenta spectes, sumptuosum; praesertim, qvia multae porticus subterraneae, eaedemq; satis magnae, fuerunt, et adhuc superant. Construi coepit Monasterium circiter annum cIↄ ccc xlviii. Tres sorores nobiles Vttenhofiae: Gertrudis, Margaretha, et Tecla, fundaverunt. Praecipue Gertrudis, Henrici, Advocati Veidensis, Coniux, eademqve, post obitum Coniugis, prima Abbatissa. Qvin tamen Domini Advocati et ipsi symbolum ingens dederint, indubium. Namqve Henricus, Advocatus Plaviensis, Margaretham in matrimonio habebat. Feruntur item Henricus Senior, et Henricus Iunior, Vogti Plavienses, consensu suo piarum mulierum legata, fundationemqve confirmasse. Post illa tempora Comites Orlamundani, Eqvites vicini, et pii Cives multi, liberalitate sua opus perfecerunt. Neqve horum omnium beneficio tantum Monasterium, sed etiam Fanum S. Annae

surrexit. Domus anterior, qvam forte Abbatissae olim habitarunt, hodie Praefectus Coenobii habitat, serius addita, A. CIↃ IↃ XLVIII. Antea, nominatim A. CIↃ CCCC LXXVIII, Virgo sacra libidinosa Monasterium (horrendum dictu!) supposito clam igne, incendit, qvo incendio et Coenobium Franciscanum, ut et vicinae aliqvot domus correptae, perierunt. Anno tandem CIↃ IↃ LIII Monasterium a Virginibus deseritur, qvo anno hostis Curiam obsidione urget. Mox idem illud tormentis laceratur, et a milite diripitur. Ruinosum, post excessum ultimae Abbatissae, simul cum omnibus reditibus, ad Serenissimum Marchionem, Georgium Fridericum, redit: id qvod anno accidit CIↃ IↃ LXIV. Reditus stipendiis literariis viginti qvatuor, perinde qvam Sacerdotibus, et Magistris melius sustinendis, destinantur. Vnum addimus, Coenobium pro nobilibus, imo et principibus, foeminis, ac virginibus, conditum fuisse. Ad numerum qvod attinet, fuerunt A. CIↃ IↃ II mulieres nobiles qvadraginta. Ceterum reditus annui mille qvadringenti floreni. Haec omnia, et plura, memoratu haud indigna, vide in Progr. CL. Dn. Veissii, de Coenobii ad S. Claram Historia, ed. CIↃ IↃC XCIII. Conf. Plur. Rev. Dn. Villius, Paradis. Pinif. Teuton. Sect. V, C. I. inprimis autem Videmannus. Iam de altero Monasterio tractandum, qvod Franciscanum audit, conditum ab Henrico Veidense, qvi et primus Gvardianus fuit: conditum autem anno CIↃ CC XCII. Prius vero, qvam strueretur, aliqvot ante annis Franciscani Ordinis homines Curiae vitam egerunt. Principio arctis admodum limitibus circumscripta erant illorum habitacula, insigniter postea dilatata sumptu Henrici, qvem diximus, Veidensis. Tres ceteroqvin fuerunt huius Coenobii domus. Vna complexa est bibliothecam,

iuxta et coenaculum, longa pedes triginta duos, lata sexaginta tres: hodie ibi sunt duo Auditoria, et Contubernium Scholasticum. Altera domicilia Monachis praebuit, lata pedes centum, longa centum qvinqvaginta novem. Tertia polentae conficiendae, et coqvendo zytho, accommodata fuit, longa pedes viginti duos, lata qvinqvaginta duos. Hodie vero dicata est frumentis, lignisqve servandis. Coenobium postmodo universum, ab habitatoribus suis desertum, in Gymnasium celebre abiit, ab Serenissimo Marchione, Alberto, Amplissimo Senatui donatum, ut Schola inde insignior pararetur. Vid. Videmannus, et, post eum, Dn. Veissius, Progr. de Coenobii ad S. Franciscum Historia, ed. CIↃ IↃC XCIV. Atqve hic iam locus datur disserendi de Scholis, et Gymnasio Curiensium. Qvae schola fuit in Vrbe Vetere, ea vetus dicta est. Tempus, qvo instituta, incertum: sed veri tamen simile, fuisse ipsum tempus Templi Laurentiani recens aedificati. Instituitur iuventus Civitatis Veteris, item pagana. Fuit tamen et Vrbi novae Schola Vetus: eademqve Templo Michaelis contigua fuit. Primo institutionis ratio, pro captu aevi, fuit rudior: post deinde, aucto Magistrorum numero, melior. Inter Scholae Moderatores qvam maxime floruit Nicolaus Medlerus, S. Theologiae, et Philosophiae (ita se ipsum appellat) Doctor. Is, adhuc non multum aetate provectus, A. CIↃ IↃ XXVII, non solum Scholam Patriam collapsam in pristinum locum restituit, sed etiam Ecclesiae emendationem feliciter suscepit. Cum enim M. Caspar9 Loenerus Ecclesiae, primum repurgandae, impar videretur, eum sibi Virum adiunxit. Hic Vir postea simul scholastico, simul concionandi munere, perfungebatur. Vtriqve autem Viri loco cedere coacti, furore Praefecti Vrbis, A. CIↃ IↃ

XXIX,

XXIX, die Margarethae nomine insigni. Loenerus Olsnitium concessit, Sacerdos factus: Medlerus Vitembergam, ut studio Theologico colophonem imponeret. Inde Brunsvigam evocatus, ibi obiit. Eum M. Io. Streitbergerus, oratione, die XV Martii, A. CIↃ IↃ XLVIII, Curiae, auspicii causa, in Gymnasio novo habita, hoc elogio ornat: *hanc urbem non habuisse excellentiorem Virum.* Medlero successerunt tres alii, iidemqve ultimi Scholae Rectores. Postea autem illa in Gymnasium commutata est. Vid. Videmannus, qvocum conf. Dn. Veissii Progr. de Scholis Curiensium Antiqvis, ed. CIↃ IↃC XCIV. Gymnasio, secundum DEVM, vitam dedit Gloriosissimus Marchio, Albertus Iunior, cognomento Alcibiades, A. CIↃ IↃ XLIII. Creverat discentium multitudo, neqve omnibus capiundis Schola Michaelitana par amplius videbatur. Moderator, idemqve postea primus Gymnasii Rector, erat Iacobus Schlemmerus: Antistes Sacrorum Leonardus Eberhardus. Tum ultro, tum autem multo magis illorum hortationibus Virorum, incitati Consules, immortali laude digni, Io. Techius, Conradus Ianus, Michael Klugius, et Vitus Iodizerus, cum Senatu reliqvo Amplissimo, de commodiore Musarum sede constituenda in medium consulunt. Peropportune derelictum ab religiosis hominibus Coenobium Franciscanum fuerat. Hinc e re visum, ut in Scholam Coenobialem verteretur. Mittuntur ideo, cum Grammateo, Senatores duo ad Principem: damnantur voti: fundamenta Gymnasii iaciunt. Etenim Princeps cum Templum, ac reliqva Coenobii aedificia, Gymnasio condendo dicat: tum reditus Coenobii omnes Magistratui, pro sustinendis Magistris, donat. Literae donationis datae Blassenburgi, die Lunae, post diem Dominicam Oculi,

A.

A. CIↃ IↃXLIII. Ergo manus operi admovetur, domusqve Monachorum acroateriis duobus, itemqve alumnorum habitaculis, locum facit. Ima contignatio auditorium inferius continet, ubi prima artium rudimenta traduntur: media ſuperius, ubi diſciplinarum altiorum doctrinae proponuntur: ſumma alumnorum Muſea comprehendit. Operis auctor fuit Conradus Ianus, Conſul, idemqve ſacri aerarii Praefectus. Hic effecit, ut, A. CIↃ IↃXLV, opus abſolveretur. Sed peſtilentia dedicationem Gymnaſii ſufflaminat. Itaqve inauguratur demum A. CIↃ IↃXLVI, die XIV Iunii, Feria II Pentecoſtes, et agmen Scholaſticum ex Schola vetere in novum Gymnaſium introducitur. Inauguratio ceteroqvin talis fuit. Agmen adoleſcentum ex aede S. Michaelis, comitantibus omnium ordinum hominibus, procedit: hymni concinuntur: itur in Templum Coenobiale, Gymnaſio contiguum, indeqve, finitis ſacris, in Lyceum: Rector, Iacobus Schlemmerus, coram Antiſtite, et Collegis ſuis, orationem habet, auſpiciumqve laborum captat: Antiſtes coetui benedictum impertit: mox, die XVI Iunii, docendi fit initium. Atqve eius memoria inaugurationis, ritu anniverſario, hodieqve recolitur. Rector ad feſtam proceſſionem Germanico carmine omnis ordinis, aetatis, ſexus, homines invitat: poſtridie, id eſt, die Gymnaſii natali, ſignum aere Campano datur: confluit mane in aedem Michaelis multitudo: dux adoleſcentum primi ordinis dimidia hora octava carmen Germanicum recitat, in qvo Gymnaſii origines exponit, DEO, et Principi Conditori, eiusqve Succeſſoribus, ut et Muſagetis omnibus, agit gratias: canitur hymnus: *Qvi es veritatis Spiritus*: recitatur Oratio Domini: circumitur in Templo: canitur hymnus Encomiaſticus inter exeundum:

Veni Sancte Spiritus; inter procedendum: *Veni Creator Spiritus.* In processione primi eunt Ludorum trivialium discipuli; secundi Gymnasii cives, et Magistri, tertii Sacerdotes Venerandi; qvarti Exarchus Provincialis Eminentissimus, et Politici; qvinti Doctores, Officiales, Consules, et Senatores; sexti Cives oppidani. Hos, post aliquot intervallum, sexus elegantior subseqvitur. Vbi in Templum Coenobiale ventum est, verba pro concione fiunt. Post concionem sacram, binis semper annis, Historia Gymnasii ex pulpito Ecclesiastico praelegitur, et omnium defunctorum Magistrorum nomina praeleguntur, et votum deniqve pro Gymnasii perennitate additur. De Collegis addimus, anno CIϽ IϽ XLVIII numerum fuisse binario auctum, factumqve ex eo qvaternarium. Deinde, A. CIϽ IϽ LXVI, Gymnasium Collega qvinto, ac deniqve sexto locupletatum. Ceterum ad laudes Gymnasii pertinet, qvando Videmannus, ad annum CIϽ IϽ XLVIII, haec commemorat: *Magistros artes liberales: Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Musicam, et Astronomam, ac praeterea lingvas praecipuas: Latinam, Graecam, et Hebraeam, iuventuti Scholasticae fideliter tradidisse; item disputationes Theologicas, ac declamationes introduxisse, eaqve re factum esse, ut Gymnasii fama, longe lateqve vagata, e regionibus remotioribus, exempli causa, ex Carinthia, adolescentes huc invitaverit.* Vid. Videmannus, ad annum CIϽ IϽ XLVIII, et CIϽ IϽ LXVI. Conf. Dn. Veisii Progr. de Gymnasii Curiani Primordiis, ed. A. CIϽ IϽC XCIV, et Progr. de Gymnasii Curiani Incrementis, ed. A. CIϽ IϽC XCV. Vnde non possunt non Curiae florere literae, bonaeqve artes, praesertim, cum iuvenibus literatis complura insuper stipendia sint constituta. Nam, qvemadmodum supra indicavimus, subsidia literaria

vi-

viginti qvatuor de reditibus Monasterii D. Clarae fundavit Gloriosissimus Marchio, Georgius Fridericus, A. CIↃ IↃ LXIV. Diu ante, A. CIↃ IↃ VII, qvidam Laurentius Mordeisius, Curiensis, idemqve Mercator Lipsiensis, legavit stipendia sex studiosis Lipsiensibus, Curiae natis. Aliud Nicolaus Hahnius Nailensis legavit, A. CIↃ IↃ XII. Vid. Videm. Recentiora in studia literarum liberalitatis documenta taciti praeterimus, et ex antiqvioribus solam adhuc Bibliothecam commemoramus. Eius origo a Monasterii Franciscani origine repetenda. Post recepta sacra emendatiora, cessit communi usui civitatis, asportata, A. CIↃ IↃ XXXVIII, in Templum D. Michaelis, sicut Videmannus testatur. Cella autem Templi qvinta ei dicata est: atqve ab eo tempore Bibliotheca augeri coepta. Sed, progressu temporis, custodum iniuria, sensim imminuta, tandem prorsus atqve omnino periit: foruli in Templum Monasteriale deportati, A. CIↃ IↃ LXX. Instaurationi autem rei librariae manus admota circiter annum CIↃ IↃ XC, locusqve alius inventus, idemqve conclave idem illud, Sacrario aedis Franciscanae superimpositum, ubi iam olim sita Monachorum bibliotheca fuerat. Factis bibliothecae incrementis, amplior qvaesitus locus, et in Templo S. Annae designatus. Nova vero Bibliotheca condi coepit A. CIↃ IↃ XCII: translati libri forte circa annum CIↃ IↃ XCVI. Ex Franciscanae conclavi aedis, desperata aptiore in Templo S. Annae sede, asportatur in Sacrarium D. Michaelis, ubi hodienum servatur. Vid. D. Layrizii Programma de Sacrario D. Michaelis interiore, cum Bibliotheca Curiense, ed. A. CIↃ IↃCXCI. Nunc Xenodochium inspicimus, aedificari coeptum A. CIↃ CC LX, qvo anno Vrbs Nova ab Henrico Veidente moenibus circundata. Dictum vero est Xenodo-

chium S.' Spiritus, et B. Mariae Virginis. Sumptus in eam rem fecerunt multi, non solum nobiles, verum etiam ignobiles: qvam maxime autem Eqvites vicini Rabensteinii, item cives Schutfeldii, iam pridem emortui: item post deinceps Vogti Veidenses, iuxta et Comites Orlamundani, utpote qvi reditus suppeditaveruut. De hisce reditibus qvotannis aluntur homines egeni, iidemqve senes triginta sex, qvi vitam bene egerunt, viri, perinde ac mulieres, sed tamen nullo foedo morbi genere infecti. Iis, in singulas hebdomadas, Sacerdos Xenodochialis verba pro concione facit, et statis temporibus SS mysteria dispensat. Ceterum totum Xenodochium tribus aedificiis absolvitur: Templo Xenodochiali, domo Xenodochiali, et domo oeconomiae. Conf. Videmannus. Nunc ad Ptochotrophea accedimus, qvae bina esse diximus: superius alterum, alterum inferius. Prochotropheum superius (Teutonice olim dictum est das Franzosen-Haus; hodie das Ober-Lazareth, item, das Armen-Haus dicitur) in Coemiterio D. Nicolai extrui coeptum est A. CIↃ IↃ XXXVII, et anno seqvente perfectum, qvo anno caementa Sacelli D. Sigismundi extructioni adhibita fuerunt. Occasio originis fuit haec. Postqvam ab Hispanis lues Gallica ex India allata fuit, ea, circiter annum CIↃ IↃ XXXVII, et Vrbem hancce infestabat. Qvare, propter homines illa lue infectos, Ptochotropheum, concessu Serenissimi Marchionis Georgii, iuxta Sacellum D. Nicolai, aedificatur. Bello autem, qvod anno CIↃ IↃ LIII, inceptum est, data opera diruitur, et, anno post decimo reaedificatur. Alit homines qvatuordecim, nimirum Praefectum cum uxore, et mulieres pauperes duodecim. Vid. Videm. et Dn. Layrizius, Progr. de Templis Curiensium Antiqvis, collapsis, aut immutatis, ed.

A,

A. CIↃ IↃC XXCVIII. Ptochotropheum inferius (Teutonice, das Vnter-Lazareth, item, das Siech-Haus) ſitum ultra Suburbia, viae regiae, ſiniſtram verſus, adiacet, ad ponticulum, qvo rivus cancrorum iungitur. Via, ſuper hoc procedens, proficiſcentibus in Variſciam reliqvam, Saxoniam, itemqve Miſniam, et Thuringiam, tenenda. Cum, anno CIↃ IↃ LIII, Vrbs bello vexaretur, et Ptochotrophei ſuperioris, de conſilio inflammati, incolae Vulcano cedere cogerentur, pars illorum Sacello D. Erhardi ceſſit. Hoc itaqve Sacellum in Ptochotropheum tunc mutatum eſt. Alit autem Ptochotropheum mulieres ſenes octo, et praecipuis aliqvot ſacris diebus Sacerdotis Xenodochialis ſermonibus perſonat, illis cumprimis diebus, qvibus hoſpites ſacroſanctis myſteriis utuntur. Vid. Videmannus, et conf. Dn. Layrizius, l. d. Noſocomium breviter demum deſcribimus. Extructum fuit aliqvod apud S. Sepulchrum, A CIↃ IↃ XLII, ſed illud interiit. Supereſt autem aliud, qvod conditum eſt A. CIↃ IↃ XXCV, non procul a Ptochotropheo inferiore, ubi rivus cancrorum in Salam defluit. Teutonice appellatur das Peſtilenz-Haus. Qvod reſtat, inter Ptochotropheum, et Noſocomium, coemiterium interiacet, in qvo hoſpites horum aedificiorum ſepeliuntur. Vid. Videmannus.

X. Inter aedificia profana eminent Arx, et Curia. Praeter haec dantur complura alia memoratu digna, et communi utilitati ſervientia: molendina tria, pharmacopolia duo, mola chartaria, do-

mus tinctoriae, fullonicae, balnea tria. Statis etiam temporibus cives arma tractant, et sive sagittas iaciunt, sive sclopeta explodunt. Hinc casa sagittaria, et domus sclopetaria.

Arx magnifice extructa ab Henrico, Advocato Veidensi, circiter A. CIϽ CC LX. Is, posteaqvam a familia Comitum Orlamundanorum Curiam, cum terra Regnitiana, emerat, Vrbem Novam Curiam aedificavit, et sedem ibi, aulamqve fixit. Vid. Videmannus, Annal. Vrb Cur. Conf. Bekleri Ill. Stem. Ruthen. Curia nova, Vrbis Novae, Curiae splendide item aedificata. Post antiqvam enim, anno CIϽ IϽ LXII. deiectam, anno conseqvente nova, eademqve superbior, extrui coepta est. Vid. Videmannus, ad annum CIϽ IϽ LXII, et CIϽ IϽ LXIII. Datur vero et Curia in Vrbe Vetere, qvae, consveto nomine, Domus Communis (das Gemein-Haus) appellatur. Molendina tria, omnia et singula, a Sala flumine agitantur. Primum cognominatur superius, estqve situm e regione Templi Laurentiani, in ipso aditu Plateae Piscatoriae. Alterum Michaelitanum, e regione aedis S. Michaelis positum, in ipso aditu Suburbii eius, qvod dicitur Suburbium ad molendinum Michaelis. Postremum molendinum Xenodochiale, qvod septentrionem spectat, iacens e regione portulae Xenodochialis, in Suburbio versus fullonicam. Pharmacopoliorum unum vetus, alterum GEORGGVILELMIANVM nuncupatur. Mola chartaria A. CIϽ IϽ LXXI, teste Videmanno, constructa est. Ab Vrbe fere ad dimidium lapidem distat, sita ad Salam, papyrum

pyrum

pyrum praestantem, lateqve celebrem, conficiens. Conf. Videmannus, ad annum dictum. Typographia, signum florentium literarum, iamdiu floruit, primum instituta A. CIↃ IↃ LIII, III. K. April. Primusqve Typographus Matthaeus Pfeilschmidius, Bonsideliensis, fuisse dicitur Videmanno, in Annal. Cur. Domus tinctoriae complures dantur: in his tinctoria sericorum, sita in Suburbio versus molendinum Michaelis, ipsi molendino vicina. Fullonica praecipua est fullonica panni textorum, sita in exitu Suburbii, qvod ab ipsa nomen suum accepit. Balneorum unum superius, alterum medium, tertium inferius audit. Suntqve omnia in Suburbiis sita: superius e regione viculi balneatorii, portulaeqve cognominis: medium non procul inde, e regione Templi, portulaeqve S. Michaelis, sub ingressum plateae piscatoriae, proxime molendinum S. Michaelis: inferius ad molendinum Xenodochiale, versus ipsum Xenodochium. Deniqve domus duae aspiciuntur, in qvibus Cives, statis temporibus, in armis sese exercere solent: casa sagittaria, et domus sclopetaria. Illa contigua portae superiori ad dextram est, haec eo in loco, ubi olim Sacellum Sigismundi extitit.

XI. Qvae fuit Varisciae Veteris, ad Christi sacra conversae, religio, eadem olim Curiae Vrbis: qvae postea Varisciae hodiernae, doctrinam emendatiorem secutae, eadem, Vrbi suscepta, constanter adhuc retinetur.

Qvo

Qvo tempore Romana Ecclesia, superstitione iamdum principatum tenente, errores erroribus cumulabat, Curia Vrbs coepit condi. Qvare, falsa a teneris opinione imbuta, candidam simplicitatem prae se ferens, pie, qvoad poterat, Divinum Numen colebat. Eius rei testes tot Sacellorum, Monasteriorum, aliorumve sacrorum aedificiorum fundationes, perinde ac dotationes, tot altarium dedicationes, et alia pietatis adversus DEVM documenta. Sed tamen incolae nostri ita superstitiosi fuerunt, ut, meliores nacti duces, vellent utiqve emendari. Id qvod, reddita rei Christianae Evangelii doctrina, constare potuit. Vix repurgata ab erroribus religio, iubare suo longe lateqve fuso, tum universam Varisciam, tum Curiam Variscorum, implet. D. Lutherus cum multos alibi divini instituti praecursores, tum qvosdam etiam Curiae habuit. Fuerunt utiqve et in illa Vrbe, qvi, aliqvo venturi Evangelii diluculo collustrati, crassioribus errorum tenebris qvodam modo reniti conarentur. Fuit in his D. Theodorus Morungerus Bambergensis, Herbipolensis, et Eystadiensis Ecclesiae Canonicus, Plebanus postmodo Curianus. Posteaqvam enim, A. CIↃ CCCC XXCIX, Innocentius VIII, Pontifex Maximus, Legatum a latere, Raymundum Payraudium, Gallum, Archidiaconum Rom. et Theol. D. per hanc universam terram dimisisset pro danda venia peccatorum plenissima, Iubilaei nomine consignata, imposturae indignitatem indigne ferens Morungerus hinc Norimbergam se confert, ubi tunc nundinator Pontificius agebat, bullaeqve Pontificiae palam obloqvitur, et veniam Pontificis invalidam animabus pronunciat. Sed, Norimberga rediens, instinctu Pontificii legati, a subiectis Marchionis Friderici capitur, et vulneratus Cadolsburgum abducitur,

ibi-

ibiqve, iussu Pontificis Romani, Marchioni traditur, et novem integris annis in arce Culminibus Asperis, captivus tenetur. Fuit et qvidam M. Io. Sorgelius, Plebanus Vicarius ad D. Michaelis, qvi in Monachorum, atqve Sacrificulorum inertiam severe invectus: *Vos*, inqvit, *ignavi sacrificuli, Paulum, cum suis scriptis, nunc sub scamno reposuistis; sed, credite mihi, mox erit tempus, ubi inde resurgat, ac vos eo detrudat.* Ex qvo de pietatis zelo Curiensiũ iudicari potest, atq; intelligi, nihil ipsis fuisse vero DEI cultu antiqvius, nihilqve ad veram pietatem defuisse, nisi qvod, Pontificiorum rituum nubibus obtecti, non viderint, qva ratione eam testatam facerent. Illa vero constare coepit, simul atqve D. Lutherus doctrinam coelestem a mendis, atqve corruptelis repurgavit. A. CIↃ IↃ XVI Ecclesiae Curiensis Plebanus erat Fridericus Iunior, Marchio Brandenburgicus, Friderici IV, Marchionis Brandenburgici, Prioris Lineae Franconicae, pariter et Ducalis Prussicae, hodie emortuae, Conditoris Gloriosissimi, Filius qvintus, idemqve Praepositus Onoldinus, et Herbipolitanus, Canonicus item Moguntinus, et Praepositus Canonicorum Herbipolitanorum. Tunc enim temporis Parochia Curiensis ordinarie fere a Canonicis Bambergensibus administrabatur. Licet vero is Plebanus, ac Parochus, aliqvoties ipse munere suo fungi debuerit, tamen id non obiisse legitur. Qvare legit vicarios, primo Pancratium Neudeckerum, deinde M. Io. Hollerum, tertio M. Casparum Loenerum, eundemqve A. CIↃ IↃ XXIV. Hic, agnita proculdubio ex Lutheri scriptis veritate doctrinae coelestis, palam illam professus, corruptelas Pontificiorum audacter taxat, et monachorum ordines, ac studia, ceteraqve humani ingenii commenta notat, ac reprobat. Graviter eam rem fert Vigandus, Antistes

Bambergensis, et Loenerum Templo D. Michaelis pellit, et in eius locum Gvolfg. Techium, sacrificulum, surrogat:, cumqve Loenerus deinde, in Templum Franciscanum concedens, per singulas hebdomadas Verbum Dei proponeret, et cum Cives paulatim, tum qvosdã etiam Monachos ad veras doctrinas adduceret, alio edicto Vrbe eundem eiicit, A. CIↃ IↃ XXV. Vim Antistitis secuta fraus, et impostura, incrementa veræ doctrinae attentat. Venerat, A. CIↃ IↃ XXIV, in Vrbem qvidam Nicolaus Storchius, Cygneus, arte panni textor, doctrina fanaticus. Specie laboris venerat, revera, ut ibi virus suum latius disseminaret. Idem et antesignanus Anabaptistarum, et Thomae Munzero, qui incentor tumultus fuit rusticorum, auctor impiarum opinionum fuisse memoratur. Cum Vartburgi Lutherus delitesceret, Storchius, A. CIↃ IↃ XXI, Vitembergam profectus, discipulos et ibi clanculum qvaerit, perinde ac invenit: praecipue Marcum Stubnerum, conterraneum, et Martinum Kellerum, ceterum ipse minime diu ibi commoratus. Sed revertimur ad Curiam, ubi multos, non solum tribules suos, verum etiam Cives alios, item aliqvot Monachos, praestigiis, et necromantica arte editis variis miraculis, fascinat, et horrendis commentis, ac mendaciis deludit. In exemplum Sanctissimi Servatoris Apostolos XII legit, et, daemonis ope, optimas dapes, ac vina generosissima, Civibus furtim erepta, dictitat a Gabriele Angelo, perpetuo suo apparitore, sibi, tanqvam novo Eliae, asportari. Cum multa impie in S. Ecclesiam, ut et Magistratus dicit, tum, diuturno conflictatus morbo, in DEVM ipsum horrendas blasphemias ore impurissimo eructat. Demum, pristinae redditus valetudini, rebus suis diffidens, per posticum clam elapsus, non multo post Monachii, in Xenodo-

chio,

chio, aut diversorio, tenui et ignoto habitu, animam efflat. Relinqvit vero Storchius Curiae nihilo se meliorem discipulum, Ioannem Leonem, qvi non ita pridem Monachus e Coenobio Franciscano aufugerat. Ille sub dio, in patente campo, non procul a S. Sepulchri Sacello, qva itur in Montem Eichelberg, Evangelium Matthaei, ex C. V, inde a comm. 1 ad 12, vespera Cathedrae Pauli, et subseqvente die Dominica, A. cIↄ Iↄ XXV, freqvente populo, publice, more fanaticorum, explicat. Idem vero ille Vrbe, metu seditionis, eiectus, prolixa ad Curienses fideles, uti is qvidem vocat, epistola conscripta, velut de iniuria sibi facta conqvestus, sententiam suam plenius confirmat. Parum autem abfuit, qvin, talibus ducibus corrupti, multi Civium Curiensium turbae rebellantium rusticorum accederent, invitantibus cumprimis rebellibus, ad Plaviam, urbem vicinam, congregatis. Sed cura Magistratus, et Sacerdotum, praecipue Loeneri, hortationibus factum est, ut, intermisso scelere, praesens vitae ac salutis periculum a Civium cervicibus averteretur. Sermones utriusqve fanatici, aeq; ac posterioris, puta, Leonis, literas, accurate consignatas, memoriae prodidit En. Videmannus, Annal. Vrb. Cur. A. cIↄ. Iↄ XXIV conventus actus Provincialis Culmbaci, auspicio Sereniss. Principis Casimiri, ut suffragia Procerum de suscepta religionis mutatione corrogaret. Adsunt et Curienses, qvi, contra Praesules, *se in agnita semel veritate firmiter perstituros*, asserunt. Sed tamen, ante A. cIↄ Iↄ XXVII, vix liberum fuit Curiensibus religionis exercitium, tum qvod Vrbs, usq; in id tempus, in dioecesi esset Antistitis Bambergensis; tum, qvod multo Clero Pontificio referta. Tandem vero annus cIↄ Iↄ XXIX, eiusqve dies V. Septembr. plenum lucis Evangelicae usum Curiae concedit. Hoc enim

 die

die Missa, seu administratio S. Coenae, in aede D. Michaelis, primum Germanice haberi coepit, et verba secure pro concione fieri, postqvam Antistes Bambergensis iure suo episcopali cessit, illudqve Serenissimi Marchioni, Georgio, reliqvit. Restitutus etiam eo anno in dignitatem pristinam M. Casparus Loenerus, de qvo ante diximus. Qvanqvam isthaec felicitas non fuit perpetua. Namqve ater genius, velut ex insidiis rediens, postremam in eum Virum evomit bilem. Dum enim officii sui munere egregie fungitur, in odium Praefecti Vrbis, una cum Nic. Medlero, sancti muneris socio, eodemqve Ludi literarii Moderatore, incidit. Rei indignitate commoti, utriqve dant ad B. Lutherum literas, consilium expetunt. Lutherus una epistola, solatii plenissima, utrisqve respondet, A. CIↃ IↃ XXXI, die VII Iul. qvam et ipsam epistolam Videmannus ad posteritatem transmisit. Mox ex Vrbe utriqve eiiciuntur. Loenerus Olsnitium primo, deinde Numburgum, deniqve Nordlingam, se confert, et hic decedit: Medlerus Vitembergam, ad Lutherum, profectus, primum Magistri, tum Doctoris honore auctus, cum Numburgi, tum postea Brunsvigae docet. Ab eo demum tempore Ecclesia Curiensis usqve adhuc alcionios agit dies, et, qvod divino munere recepit melius religionis genus, summa animi constantia tenet, atqve tuetur. Praefectura sacra parochias habet sub se viginti sex, qvarum Antistites Curienses, non minus de Ecclesia universa, qvam de Curiense, immortaliter meritos, strictim enumeramus. Sunt autem hi. Post Loenerum, Serenissimi Marchionis Brandenburgici, Friderici, qvi A. CIↃ IↃ XXXVI obiit, Vicarium, mittitur A. CIↃ IↃ XXX, a Fratre Serenissimo, Georgio, Augusta Vindelicum Curiam, et

in

in Loeneri locum surrogatur Stephanus Agricola, S. Theol. D. qvi, A. CIƆ IƆ XXXVII, Smalcadicis articulis subscribit. Post hunc primus est Antistes constitutus Leonardus Eberhardus, Gunzenhusanus Francus, qvi formulae interreligionis se opponit, eamqve Serenissimo Marchioni Alberto dissvadet. Obit A. CIƆ IƆ LI, d. VII Decembr. Huic Viro sufficitur Io. Streitbergerus, Doctor Theologus, A. CIƆ IƆ LXVII, d. XIX Martii, Antistes Summus ad Culmina Bacchi evocatus. Succedit Andr. Pancratius. Bonsideliensis, qvi obit A. CIƆ IƆ LXXVI, d. XXVII Septembr. Huic Aurelius Streitbergerus, A. CIƆ IƆC XII. Huic M. Christoph. Iordanus, A. CIƆ IƆC XXIV, d. III Nov. Huic Christophorus Schleupnerus, D. Theolog. A. CIƆ IƆC XXV, d. XII Mai. Huic M. Iac. Seyfridus, A. CIƆ IƆC XXXIII, d. XIV Maii. Huic M. Henricus Teubelius, A. CIƆ IƆC XXXIV Huic M. Io. Kufnerus, Pressensis Palatinus Superior, A. CIƆ IƆC LIV. Huic Io. Valtherus, S. Theol. Licentiatus, A. CIƆ IƆC LIX. Huic deniqve Generosissimus, Summeqve Rev. Dominus Iosephus Fridericus Valdeccius, Dominus Hereditarius in Culmiz, Doebrastoecken, et Berg, Patronus Summus, A. CIƆ IƆC LXXIX, d. XXX Aug. Vid. Videmannus: item Dn. M. Layrizii Progr. de Religione Curiensium Pristina Papaea, ed. A. CIƆ IƆC XXCVII, et Progr. seq. de Religione Curiensium Hodierna Evangelica Lutherana, ed. an. eod. Pl. Rev. Dn. Villius, Parad. Teut. Pin. P.V, C. I. Ritus Ecclesiae Curiensis vide apud Dn. Layrizium, Progr. De Religione Curiensium Moderna Evangelica Lutherana, Fide, et Ritibus, ed. an. eod. Nomina Venerandorum Antistitum partim rursus apud Videmannum, in Annal. partim apud Magnif. Dn. Io. Georg. Perschium, in Gratulatione Teutonica ad Generosissimum, et Summe Reverendum

dum Dominum Iosephum Fridericum de VValdeck, Antistitem Vrbis, Principis Curiae, Ecclesiarum Exarchatus, aliarumqve vicinarum, Designatum.

XII. Curienses olim in potestate fuerunt Ducum Meraniorum, Comitum Orlamundanorum, et Advocatorum Veidensium: hodie Serenissimis Marchionibus Brandenburgicis parent. Toti Civitati praeest Exarchus Provincialis. Reliqvi magistratus partim sunt Officiales Principales: Qvaestor, Eparchigrammateus, Praetor oppidanus, Praefectus Coenobii, Praefecti Rationum Principalium; partim Senatus oppidanus; partim Curatores.

Curia, cum seculo undecimo ex latronum spelunca surgere coepisset, soli S. Imperio fuit obnoxia: deinde ab Imperatoribus, feudi nomine, variis Dominis concessa. Tenuerunt eam longo tempore Duces Meranii: post hos Comites Orlamundani. Namqve Otto, Comes Orlamundanus, Beatricem, Ottonis M, Ducis Meranii, filiam, uxorem duxerat. Eius filio, Ottone II, sine heredibus mortuo,

tuo, lege hereditatis, praeter possessiones alias, Vrbs Curia, et terra Regnitiana, ad Comitem Orlamundanum pervenit, A. CIↃ CC XLVIII. Iam Comes ille Curiam, pomoeriis nondum cinctam, cum agro Regnitiano, circiter A. CIↃ CC LX, Henrico Iuniori, Vogto Veidensi, vendit, qvi eam aula sua illustrat, iuxta et qvam plurimis privilegiis, beneficiisqve cumulat, qvae Videmannus memoriae prodita reliqvit. Ludovicus autem, cognomento IV, Imperator Romanorum, Burggravium Norimbergensem, Fridericum IV, Vrbe Curia investit, causa remunerandae fidei, ac virtutis, qvam Caesari, in proelio apud Muhlhusium commisso, testatam fecerat. Concessio illa facta est Monachii, A. CIↃ CCC XXIII, d. XXVII Octobr. *propter fidelia obseqvia* (ut Imperatoris verba, privilegio, et tabulis concessionis inserta habent) *maxime, quod in die dimicationis, et belli, pro ipsius S. Imperii, ac nostris summis honoribus per nos habiti, cum Friderico, Duce Austriae, ipse miles strenuus, et adiutor, de multa comitiva extitit.* Atqve hoc ipsum d. XII, et XVIII Febr. A. CIↃ CCC XXVIII, Romae, Bulla aurea confirmat. Atqve ex eo tempore penes Burggravios fuit Feudi concessio, ceterum possessio penes Dominos Veidenses, usqve ad A. CIↃ CCC LXXIII, permanet. Eo vero anno ad Fridericum V, Burggravium, plenum dominium transit, repraesentatis octies mille centum sexagenis denariorum Misnicorum, i. e. florenis qvadragies mille qvingentis. Atqve ab eo tempore, praesidio DEI, et beneficio Serenissimorum Burggraviorū, qvi Marchiones deinde Brandenburgici creati, tuta et valida Curia stetit, et, ut stet, ac floreat perpetuo, qvam maxime optamus. Vid. Videmannus; Valdenfelsius, Sel. Antiq. XII, XXXII;

Bek-

Beklerus, Ill. Stem. Ruth. Summe Rev. Dn. Io. Georg. Layrizii de Burggraviatu Norico Dissertatio Historica, ed. CIƆIƆC LXXVII. Io. Gvolfg. Rentschii, Consiliarii Brandenburg. Brandenburgischer Cederhayn, P. II, C. 2. Dn. Villii Teuton. Parad. Pin. P. V, C. 1. Iam Exarchus, pro Principe, sicut toti tractui, ita Vrbi praeest. Isqve est hodie Illustrissimus Comes, ac Dominus, Dominus IOANNES ALBERTVS, Comes de RONOV et BIBERSTEIN, Dominus in Oppurg, Knau, Grobiz, et Grunau, Serenissimi Marchionis Brandenburgici Baruthini Consiliorum Praeses Summus, et Consiliarius Intimus Eminentissimus, Heros in toga, Praeses iustitiae aequissimns, Stator, et Maecenas literarum Summus et Incomparabilis: qvem ut DEVS immortalis, una cum universa Illustrissima GENTE, salvum semper, incolumem, felicissimumq; praestet, perinde ac diutissime conservet, Numen ei9 suppliciter, religioseq; adorantes veneramur. Hinc de Amplissimo Vrbis Novae Senatu (nam in Vrbe Vet. Senatus tantum aliqvot Viris constat) eo dicemus plura, qvo iniqvius a nonnemine Scriptore est traductus. Est ille Georgius Steinhartus, qvi Librum Exemplorum Lipsiae, prima vice, anno, supra millesimum, qvingentesimũ, nonagesimo sexto edidit. In eo libro falsam de Senatu Curiensi historiam affert, qvam se ait ex M. Georgio Ruta, die Mariae Magdalenae, anno millesimo, qvingentesimo, octogesimo secundo, audivisse. Scribit autem pagina centesima octogesima, et centesima octogesima prima, Ioannem Streitbergerum, Antistitem Curiensem in Vogtlandia, ab Senatu ad convivium in Curiam invitatum, sed, convivio finito, a Consulibus, et praecipuis Senatoribus, male exceptum et tractatum esse. Verum enimvero haec, et si qva sunt alia, erudite, accurateqve, nomine Amplis-

plissimi Senatus refutat, et erroris convincit Libellus ille, qvi PIVM PRO PATRIA inscribitur. Summa totius libelli est haec. Falsum est, Dn. Ioannem Streitbergerum, Doctorem Theologum, a Senatu Curiense, post convivium, in curia male exceptum esse. Sed res ita sese habet. Dedicatur nova curia recens aedificata, anno millesimo qvingentesimo sexagesimo sexto, postridie diei Thomae Apostoli, die XXIII Decembris: post habitam concionem sacram, Dn. Streitbergerus, simul cum ceteris Sacerdotibus, pariter et Scholae Magistris, ad convivium invitatur: finito convivio amice, humaniterqve dimittitur. Anno autem seqvente, die XIII Febr. filius Antistitis, in Suburbio, cum suis Affinibus, iisdemqve privatis hominibus, rixatur: accedit, amicitiae reconciliandae causa, Antistes, sed indignis modis excipitur: Senatus, rem graviter ferens, auctores sceleris carcere mulctat. Ex hac re igitur patet, qvanta iniuria facta sit Optimo Ordini, qvi dignum semper honorem verbi divini Praeconibus, DEIqve adeoqve ipsius Ministris ac Legatis, habendum existimavit. Es ist unwahr / und falsch / was Georg Steinhart in seinem zu Leipzig, Anno 1596. in Folio heraus gegebenen Exempel-Buch / im 180. und 181. Blat anführet / nehmlich / daß der Rath zu Hof Herrn D. Johann Streitbergern / Ihren Superintendenten / auf dem Rathhause / nach gehaltener Mahlzeit / sol übel tractiret haben / sondern es verhält sich vielmehr die Sache in der Wahrheit also und dergestalt. Es ist Herr D. Streitberger / am Tage der Einweihung des neuerbaueten Rathhauses / im Jahr 1566 / Montags nach Thomae Apostoli, den 23. Decembris, nach vorhergehaltener Predigt / nebst andern Kirchen- und Schul-Dienern / zur Mahlzeit geladen / nach der Mahlzeit

 aber

aber freundlich/ und mit guter Bescheidenheit/ wieder dimittiret und nacher Hause gelassen worden. Es hat sich aber darauf in dem folgenden Jahr/ und zwar den 13 Februarii, zugetragen/ daß sein Sohn mit zween seiner neuen Schwäger/ welche Privat-Personen gewesen/ in Mißverständniß und Uneinigkeit gerathen/ und er/ um diese Sache wiederum beyzulegen/ auch dahin gelanget/ darauf er dann anders/ als sich gegen einem Priester GOttes gebühren wollen/ in furore übel empfangen und tractiret worden/ es sind aber nachgehends die Thäter von der Obrigkeit/ so an solcher That kein Gefallen getragen/ mit Bürgerlicher Verhaftung gebührlich abgestraffet worden. Woraus dann erscheinet/ was vor ein grosses Unrecht E. Hochweisen Rath durch die gantz ungegründete Imputation geschehen sey/ als welcher vielmehr GOttes Diener und Bothen iederzeit sehr hoch respectiret/ und in gebührenden Ehren gehalten.

XIII. Extremo bona, perinde ac mala reddenda. Bona haec sunt: commoda vivendi ratio, opificium freqvens, mercatura florentissima, solum benignum. Mala: lues, incendium, et belli calamitas.

Facilis parandi victus ratio. Multa enim sunt, unde qvaestum, unde pecunias facere licet. Omnium rerum pretia mediocria. Multa sive nascuntur, sive elaborantur, qvae

qvae alibi importari videas. Cum pleraqve omnia opificia, tum maxime panni textura exercetur. Incredibilis propemodum talium textorum multitudo: resqve illa mercaturae multum commodat. Qvanqvam haec rebus multo pluribus effloreſcit. Huc ſitus Vrbis opportunus, huc aſſidui qvaqvaverſum tranſitus, ac itinera, huc inſignes nundinae pertinent. Itinera, viaeqve regiae, per Vrbem verſus omnes plagas conſpiciuntur. Via una eſt Baruthina: haec per portam ſuperiorem, per Vrbem Veterem, eiusqve fauces ſuperiores, perqve Munſterum nemus ducit. Alia eſt Culmbacenſis, qvae, per portam eandem egreſſa, aliqvantum praeterit Foſſam Arcis: ubi fere officinam novam lateritiam attigit, ad ſiniſtram flectit: tum vero, e regione domus ſclopetariae, Via alta dicitur, indeq; pergens, ad pratũ Clericorum, et Neuhofium praedium procedit. Tertia Egrana, per eandem portam exiens, perqve inferiores Vrbis Veteris fauces Templum D. Laurentii praetervecta, ſuper pontem lapideum ſuperiorem incedit, poſteaqve loca ſupplicii ad dextram relinqvit. Qvarta Bonſidelienſis, ex eadem porta proficiſcens, fauces ſuperiores tranſit, indeqve ad ſiniſtram flectens, aliqvantum continuata, Munſterum ſylvulam praeterit, porroqve Superius Kozavium, et Svarcenbacum ſalutat. Qvinta Olſnitienſis, per portam inferiorem permeans, Lapidem Amoenum praeteriens, Leimitium pagum ad dextram deſerit. Sexta Plavienſis, per inferiorem portam penetrans, inter montem Eichelberg, Lapidemqve Amoenum, et montem Labyrintheum, per vallem perducta, Heidam pagum dextrorſum praeterit. Septima Lipſienſis, per portam inferiorem, perqve Suburbium, progreſſa, pontem inferiorem lapideum ſuperat: tum Prochotropheum

 tropheum

tropheum qvam proxime praeterit: deniqve, ultra montem Studiosorum, Zedvitium pagum attingit. Octava Hirsbergensis, per eandem portam inferiorem, ac deinde super Kozaviensem collem, progressa, inferius Kozavium sinistrorsum derelinqvit. Nundinarum solenniorum sunt duae: unae in diem Conversionis Pauli, alterae in diem Laurentii incidunt. Illae, teste Videmanno, anno, supra millesimum, qvingentesimum, septimo institutae: utraeqve dies septem celebrantur. Praeterea dantur mercatus qvidam boarii, qvorum praestantiores in dies Bartholomaei ac Michaelis incidunt. Deniqve dantur singulis hebdomadibus singuli hebdomadarii. Ager Vrbis Curiae satis amplus, ac solum perfoecundum, frugumqve omnis generis, item lupuli, pabuliqve, feracissimum. Marmor etiam aliqvot in locis crescit, et caeditur. Vna lapidicina marmoris est ultra Suburbium, ad viam Plaviensem, ubi marmor griseum caeditur. Alia datur ad latus medium Munsteri nemoris occidentale, inter sylvulam illam, et pratum Clericorum: ibi vero marmor atri coloris reperitur. Mala et calamitates etiamnum attingendae restant. Qvamvis autem aer, et aqva, ut ceterae Varisciae, ita inprimis Curiae, admodum salubris sit, tamen nonnunqvam lues pestilens et hic grassata est. Anno CIↃ IↃ V sicut tota fere Germania, ita et Curiae crudelissime saeviit, et in hac una Vrbe extinxit homines mille qvadringentos: anno CIↃ IↃ XIX, homines mille centum: an. CIↃ IↃ XCIX homines mille qvadringentos: an. CIↃ IↃ LIV, rursus aliqvammultos: an. CIↃ IↃ LXVI contra perpaucos: an. CIↃ IↃ XCIX similiter aliqvam hominum turbam. Ceterum nunqvam Curiae saeviit contagio, qvin simul, eodemqve tempore, viciniam afflixerit. Vid. de eo argumento Videmannus. Multum etiam mali ex incendiis Vrbs saepe-

nu-

numero sensit. Anno CIↃ CC XCIX tota fere Vrbs Nova, Vetusqve, igne deleta est. Eo incendio simul Aedes D. Laurentii, item Sacella, D. Michaelis, et D. Nicolai, deflagrarunt. An. CIↃ CCCC LXXVIII utrumqve Monasterium, D. Francisci, et D. Clarae, simul cum vicinis aliqvot domibus, a libidinosa virgine vestali, velut iam supra docuimus, succensum est. Longe maius autem incendium anno fuit CIↃ IↃ VII, die V. Kal. Aug. Erumpit flamma, ex aedibus pistoris, apud viculum balneatorium: inde ad portam superiorem: inde vel in ipsam Vrbem veterem serpit. Igne consumuntur domus, et horrea, centum qvinqvaginta. Tertia pars Vrbis Novae: maior Veteris. In Nova aedificia sexaginta: in vetere pleraqve omnia: porta praeterea superior: deniqve pons ipse superior. Incendium aliud an. CIↃ IↃ XVII, die VII. KL. Octobr. idemqve negligentia puellae, coortum, depascit dextrum fori latus, et qvidem inde a viculo D. Michaelis usqve ad portam inferiorem: tum universam Orlam, una cum domiciliis Sacerdotum, usqve ad ipsum Templum Michaelis. In universum combusta aedificia qvinqvaginta, cum horreis tribus. An. CIↃ IↃ LXIX, incendio in platea coenobiali exorto, domus sex deflagrant: anno seqvente rursus tres in platea posteriore: item rursus totidem an. CIↃ IↃ XXCIII. Vid. et de hoc argumento idem Videmannus. Omnium vastissimum incendium fuit A. CIↃ IↃC XXV, d. VI Nov. qvo, praeter curiam, aedificia circiter CLXII perierunt. V. Dn. Layriz. Progr. de Templo D. Michaelis, ed. A. CIↃ IↃC XXCVIII. Vltimũ incendium ortum an. CIↃ IↃC XC, d. XVII April. pridie diei Viridium: ortum autem incuria servuli, fumo herbae Nicotianæ usi. Hoc incendio, una nocte, horis trib9, tertia propemodum pars Novae Vrbis deletur. Flãma, coepta ad portã inferiorem, usq; ad Pharmacopolion vetus grassata, plateam latrocinalem, Iudaeorum, dimidiumqve coenobialis, ut et

turrim

turrim curiae maiorem, conſumit. Aedificia in univerſum octoginta novem conflagrant. Hauſimus haec ex ore Viri Ampliſſ. Dn. Io. Frid. Braunii, Triburorum Principaliũ Praefecti, Patroni Singularis. Conf. Venerand. Dn. Layrizii Progr. de Funeſto Curianae Vrbis Incendio, ed. ipſo incendii año; et Iod. Kiſelingii Supplementum Añalium Videm. Ad extremum ab incendiis ad belli incendia convertimur. Anno CIↃ CCCC XXX Huſſitae Curiã capiunt, diripiunt, multos homines interficiunt, alios captivos abducunt, Vrbem utramq; exurunt, ac ne Templis qvidẽ parcunt, ſed eadem ornatu, qvo poſſunt, omni exſpoliant. Biennio poſt denuo ab Huſſitis obſeſſa, elapſo menſe, cum hoſte agit, dataqve pecunia eum placat. An. CIↃ IↃ XLVII, d. X. Martii, Vrbs, ab Henrico Rutheno Graizenſi, et Gvilelmo Thumnshirnio, ad deditionem provocata, Ioanni Friderico, Principi El. Sax. ſe dedit. Diu vero illud duravit bellum, multumqve eo mali Vrbs perpeſſa ab hoſtibus Alberti, Marchionis Brandenburgici, inprimis ab Antiſtitibꝰ, Bambergenſi, et Herbipolitano, Henrico Plavienſi, et Norimbergenſibus, foederatis, ſaepeqve numero cincta obſidione, ſaepe occupata eſt, pariterqve pomoeriis, ac munimentis omnibus denudata. Cuius qvidem belli deſcriptionem vide apud Iacobũ Schlemmerum, Curiani Rectorem, qvi bellum illud Scripto Teutonico, nondum publicato, accurate executus eſt, anno CIↃ IↃLXXIV. Nos tandem aliqvando difficili, ut opinamur, labore defuncti, DEO O. M. gratias immortales conſecramus, eidemqve, qvod ſupereſt, ex animo ſupplicamus, ut Optimam, Cariſſimamqve CVRIAM in antiqva ſede ſiſtat, ut, rebus omnibus ſecundiſſimis utentem, et felicitatibus omnibus affluentem, atqve cumulatam, in perpetuum conſervet, atqve tueatur.





